EXAMEN

DOCTRINÆ ARIANO-SOCINIANÆ

à quodam Anonymo sub hoc titulo evulgatæ:

Doctrina De Deo, & Christo, & Spiritu Sancto; ipsis scripturæ verbis, ante paucos annos, à quodam divinæ veritatis Confessore, in sermone Germanico concinnata: nunc verò, in gratiam exterorum, Latinè edita.

In quo,

Loca de S. S. Trinitate insigniora, à cavillis Adversariorum consensu Orthodoxorum perpetuo, constantique tam antiquorum Patrum, quam recentiorum Doctorum expositione illustrata, vindicantur.

Addita est Orthodoxa S. S. Trinitatis Defensio, adversus erroneum cujusdam Anonymi scriptum.

Unà cum veteris Ecclesiæ de Arianis Judicio.

Studiò & Operâ

PAULI P. JASZ-BERENYI,
Transylvano-Hungari.

Londini, Sumptibus *Samuelis Broun* Bibliopolæ, ad Insignia Reginæ juxtà Cœmeterium S. *Pauli*.
1662.

Imprimatur,

Geo. Stradling. T. Th. D. D. Reverendi in Christo Patris Dr. Gilberti Epiſ. Lond. Sacell. Domeſtic.

Ex Ædib. Sabaud.
Febr. 24. *Anno Salut.*
1662.

Sereniſſimo Principi

Domino Domino

MICHAELI APAFI,

Dei gratiâ Principi Tranſylvaniæ, partium Regni Hungariæ Domino, & Siculorum Comiti, &c. Eccleſiarum Reformatarum Defenſori, Avitæ Libertatis Reſtitutori, Patriæ oppreſſæ Liberatori, omniſque veræ felicitatis genti noſtræ Autori & Aſſertori, Domino Domino mihi Clementiſſimo,

Omnem cœlitùs proſperitatem.

Sereniſſime Princeps D. D. mihi Clementiſſime,

VEriſſimè ſcriptum reliquit Irenæus, *Hæreticos nonnunquam ſimilia loqui Orthodoxis, ſed diſſimilia ſentire.* Item, *Errores ſuos nequaquam apertè oſtendere, ne denudati facilè cognoſcantur, ſed quibuſdam cooperimentis ſub-*

Lib 1. adverſus hæreſes initio, & lib. 3. ca. 19. contra Valentinianos.

dolè adornare. *Sciunt enim* (ut loquitur Vincentius Lerinenſis) *fætores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur: atque idcirco eos cæleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt, ut ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula.* Quod certé de nullis quam de Antitrinitariis id eſt, Arianis & Socinianis dici poteſt. Hi enim turpitudinem ſententiæ ſuæ, ne nuda conſpiciatur, adeò ſubdolè verborum integumentis adornare ſolent, ut de Myſterio S. S. Trinitatis interdum videri poſſint non modò ſimilia, ſed eadem planè quæ Orthodoxi, loqui, à quorum tamen ſententia tantum Antitrinitaria differt opinio, quantum exitialis à veriſſima & ſaluberrima fide Hæreſis. Hinc audias interdum Μεταχηματίσμῶ utentes biſingues illos & διψύχους Arianos de Chriſto Dei Filio, pios ſimulare ſermones: ut quando Franciſcus Davidis diſput. 3. Albanâ; *Teſtatum*, inquit, *omnibus eſſe volumus, nos utrum Chriſtus ſit Deus, nunquam dubitaſſe, vel de æterna ejus divinitate litigâſſe.* Rurſus: *Sicut rivus*, inquit, *non aliam aquam habet*

Adverſus Hæreſes, cap. 35.

Chriſtoph. Pelarg. in Admonit. de Arianis recent. cap. 6.

habet quàm quæ è fonte effluit: Sic eadem est divinitas Patris, quæ communicatur Filio. Ergo Filius non est alius Deus: Disputat. 5. Albanâ. Idem in libro, quem annis duobus post edidit; *Sunt*, inquit, *unius ejusdemque divinitatis Pater & Filius.* Et tamen in eadem disputatione & ejusdem diei actione, Æternus, ait, *ille & invisibilis Filius, ut sacris Scripturis, ita nobis quóque est incognitus.* Ibidem, *Dicta veteris Testamenti referuntur ad Christum, non eo nomine, quòd sit ille Deus unus & solus: verùm eo, quòd sit Christus complementum omnium promissionum divinarum.* Et rursum, *Filium Deum dicimus esse communicatione.* Sic blaterator ille Blandrata in responsione ad librum Georgii Majoris, edita 1569 anno: *Christus*, inquit, *est Deus, ut Filius ex Deo Patre est unctus sacro sancto oleo divinitatis ad infinitam perfectionem sapientiæ, justitiæ, potentiæ Dei Patris, & hâc ratione Pater Filio major dicitur, quòd excellentior sit conditio gignentis quàm geniti, dantis quàm accipientis.* Et tamen id ipsum his confestim negat verbis, in disputat. Albanâ act. 6. diei, *Dicimus unum esse æternum illum & altissimum Deum, nempe Patrem; non agnoscimus aliquem Dei*

Filium, qui non ſit homo. Sic concordia Miniſtrorum Sarmatiæ, Tranſylvaniæ, & Hungariæ, edita anno 1567. lib. 2. cap. 7. *Dicimus*, inquit, *eam, quam Pater habet ſemper immenſam & impartibilem Deitatem, non aliam Chriſtum accepiſſe.* Eadem quoque fuit aſſertio Demetrii Samoſatenianorum Miniſtri Claudiopolitani, & Stephani Baſilii in diſputat. Albanâ 5 diei. Adduci poterant ejuſdem impietatis & contradictionis plura documenta ex Gregalium eorum ſcriptis. Verùm ſatis eſt, ſi adjecero ex Oſtorodi ſcripto, quamvis ſe religioſum oſtentet & Orthodoxis linguâ tenus vicinum, quando in Apologia complicum ſuorum nomine: *Dicimus*, inquit, *nullam cauſam habuiſſe Theologos veſtros, cur affirmarent, nos divinitatem Filii Dei & Spiritus Sancti negare: cùm expreſſiſſimè & frequentiſſimè utriuſque divinitas in ſcriptis noſtris aſſeratur & explicetur, & præſertim, quod ad Chriſtum Dominum noſtrum attinet. Dicitur enim ibi Chriſtum Dominum noſtrum vocari & eſſe Deum, propterea quòd à Deo Patre ſuo cùm potentiam tum gloriam divinam conſecutus fuerit: adeò ut in ejus nomine omnium & hominum & angelorum genua flectantur.* Confeſſionem deinde ſuam

repetens

repetens quàm veteratoriè: *Credimus*, ait, *& confitemur, hominem illum Jesum Nazarenum, qui dicitur Christus, Abrahamo ejusque posteris aliquando promissum, ex Spiritu Sancto verò postmodum conceptum, & ex Maria virgine natum, Deum unigenitum Filium esse.* Et impostor ille in eadem Apologia Syllogismis etiam divinitatem Filii Dei impugnat. Usque adeò vacillant, & in omnes partes tanquam Prothei & Morphei quidam se versant hæretici: aiunt, negant, figunt, convellunt idem, centies; aliquo tamen semper verborum involucro. Ut hoc ipsum, vel ex doctrina nostri Anonymi liquet plus satis; quod enim verbis videtur largiri & affirmare, id reipsâ eripit, & negat. Quod Socinianæ impietatis tegumentum ut longè latèque pateſcat; illud, divino fretus auxilio, verbis Scripturæ S. examinandum susce-pi, Celsissimoque nomini Tuo *Serenissime Princeps*, ob virtutes non modò Heroicas in Te transfusas, sed diviniores quasdam & planè cœlestes infusas, dicatum volui. Tu enim ab ineunte ætate, Tuâ temperantiâ, justitiâ, gravitate, pietate, constantiâ, quales alios esse oporteat, exemplum dedisti. Tu literas & literatos omnes incredibili a-

more prosecutus, eos, apud sui similes, apud dissimiles, apud universos plurimi feciſti: Tu me indignum ante sexennium, Illustrissimi Domini *Francisci Rakoci* Transylvaniæ tunc Principis Electi, Ephorum, recta monentem, pietatisque ac virtutum Christianarum semina & præcepta menti ejus teneræ, per triennium placidè inspergentem, facundissimâ Tuâ inter omnes comitate Tibi devinxisti. Tu verbi divini Præcones magno semper in pretio habuisti; inque eorum veneratione genio quasi divino Te raptum subindè sensisti. Tu in peragendo cultu divino, quâ privato quâ publico, animo ferventissimo omnibus præivisti. Tu à primis annis ad hanc ætatem non modò cogitasti, verùm etiam vitâ ac moribus expressisti: propterea à teneris cum literis fœdus iniisti, quô & illis semper favisti: unde jam tot tantæque Imperatoriæ dotes, quæ pari passu apud Te gradiuntur; Tua mansuetudo, liberalitas, fides, summa justitia, incredibilis animi magnitudo, Tua non humana, sed penè divina sapientia: quâ efferos Barbaros domas, hostes & inimicos amicos Tibi concilias, omnium & singulorum animos in Tui obsequium flectis: adeò ut hæsitent pariter singuli,

singuli, quid in Te priùs, quid potius, ex illo universo Prudentiæ, Justitiæ, Temperantiæ & Fortitudinis concentu esse pronuncient. In *Numa* Religionem, magnum cujusque Status fulcimentum; in *Tulla* artem militarem, certum Libertatis præsidium, Romani olim maximè spectârunt. In Te utrumque agnoscunt, neutrum præferre audent, ne partiri videantur res diversissimas, quas mirabili temperaturâ miscuisti. Magna sunt quæ jam inchoasti: majora tamen, quæ mente designas nihil vulgare cogitas, nihil humile, nihil angustum: metiris omnia Tuâ dignitate potius, quàm communibus exemplis. Illa quippe Tibi plusquàm æmula sollicitudo, ut interversa restituantur, confusa disponantur, vis legibus reddatur, & nihil de probis moribus pereat, aut de antiquis delibetur. A Te honesta studia, à Te liberales disciplinæ, a Te cultus divinus, a Te ipsa Virtus ornamenta sua repetit. Macte eo animo quo cœpisti, *Princeps Serenissime*, & adimple Virtutum Tuarum orbem, quarum etiam primulum lumen vitale Tuis fuit: beatam Civium vitam Tibi propositam esse memineris, ut ea sit opibus ampla, copiis locuples & virtute instructa:

L. Flor. de Gest. Rom. lib. 1. cap. 2 & 3.

ſtructa: fac ut *Adriani Principis* laudata illa vox ex ore Tuo prodeat, quâ ita ſe Rempublicam geſturum ajebat, ut ſciret rem Populi eſſe non ſuam. Quôcirca, *Sereniſſime Princeps*, ad aras *Tuæ Celſitudinis* provolutus, Tuæ tutelæ patrocinium, quid ad hunc rerum evectus es verticem, precor; ut hoc quicquid eſt mentis devotæ benignè ſuſcipias, ſuſceptam tuearis adverſus Momorum allatratus; nec ſinas ut virus hoc peſtiferum, quod in gente noſtrâ ſcelerata præſertim *Blandratæ* & *Franciſci Davidis* aliorúmque diſſeminavit inſania, ulteriùs ſerpat, aut altiores radices agat; quin potius flagranti Tuo Zelo, divinóque illo conſilio, quibus ceu Sol enites, omnia ad majorem Dei gloriam diſponas. Ita Deus T. O. M. ſtabiliet Solium Tuum, roborabit vectes portarum Tuarum, benedicet Filiis Tuis, ponetque terminum Tuum pacem. Ut vota mea dulciſſimis verbis Davidis teſtata faciam.

Tuæ Celſitudinis humillimus
ſervus,
PAULUS P. JASZ-BERENYI.

Ad

Lectorem Benevolum.

HAbes hîc Benevole Lector *ſuccinctam Doctrinæ Ariano-Sociniana, ſcriptique cujuſdam Anonymi adverſus S.S. Trinitatem, illi ſubjuncti, confutationem. Quam, etſi varius ſerm, variumque ſequatur judicium: tum quoad me, qui res Theologicas vix primoribus (quòd ajunt) labris delibaſſe videor: tum quoad dudum & ſæpè confutata Sophiſmata. De quo tamen utroque ſecus exiſtimandi, in melioremque partem interpretandi argumenta, æquis & candidis rerum æſtimatoribus, facilè perſuaſurum me eſſe confido. Nactus enim à quodam meo ejuſdem commatis ſympatriotâ,* Claudiopolitano, *Libellorum ab Anonymo ipſi communicatorum, exemplar; non potui cohibere oculos, licet tractatu alieno occupatos, quin paucula ea pererrarem; atque hanc faciem reperi. In priori ſcilicet tractatulo, Doctrinam Ariano-Socinianam* Claudiopoli in Tranſylvania, *contextam & confutam, mihique ſexennio jam abhinc urbem illam tranſeunti, in libello manuſcripto communicatam: in his oris, ubi major virus ſuum ſpargendi commoditas, ab eorundem Alumnis, Alumnorumque Magiſtris adornatam, in lucem emiſſam: In poſteriori verò tractatulo Doctrinæ huic annexo, Adverſarium videlicet in puerili veluti Argumentorum orbita occupatum, compreſſum*

alibi,

alibi, ſed ex ariditate alibi ita demùm proruentem, ut torrentes ſolent munda quævis & immunda convolventes; quoſvis aliter ab ipſo ſentientes ad pugnam provocantem, ſibi verò ſoli certam viritatis poſſeſſionem arrogare audentem, ac triumphali ceu curru, reverâ umbratili & imaginario vehibundum, nobis omnibus præeuntibus, manibus poſt terga revinctis, inſultantem; verbo, arroganti & vano ingenio hominem & Thraſonem in ſcena viſus ſum futilia ſenſa, acidiore voce contumulantem; quæ omnia ad ſophiſmata jam ſæpè confutata, denùo confutanda, urgentes erant mihi ſtimuli atque incitamenta. Et certè hâc meâ opellâ, poſt tela toties repercuſſa, videri poterat minimè opus eſſe: niſi hoſtes Chriſtiani vetera acuerent arma jamq; ſecuriores in Trinitatis ſacræ ὁμοδοξολογίαν licentius graſſari cœpiſſent. Verùm ut prudenter admodùm cenſuit Proſper: Neceſſarium & utile eſſe, etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leve exiſtimetur, quod non frequenter arguitur: *ita non minùs religioſe monendum judicavit Gregor. de Valentia:* Nempe omni ratione tam peſtifero errori reſiſtendum eſſe, neque ullo modo committendum, ut impio ſuo ſtudio, quod iſti in oppugnando & evertendo S. Trinitatis Myſterio identidem ponunt, ſtudium noſtrum in re tam divinâ & fidelibus ſalutari defendendâ minus eſſe videatur; quantūvis ſæpiùs eâdem de re nobis ſit ſcribendum. *Nonnihil quoq; me movit, variorum in Patriam noſtram ad abducendos aut abripiendos incautiores, exemplarium diſtractio, cui malo renaſcenti maturè prævenire potius quàm præveniri exiſtimavi. Etenim* ſcintilla ſtatim ut apparuerit extinguenda eſt, *mo-*

In præf. ſcripti cujuſdam impii.

nente

nente *Hieronymo*. Et resurgente morbo, *ut Cassianus loquitur*, non debet cessare medicina; & quantò major fuerit ægritudo, tantò instantior debet esse curatio. *Quibus omnibus in cumulum rationis accedit, non ostentandæ eruditionis, quæ sat tenuis & jejuna, vel vanæ gloriæ affectandæ quæ piis mentibus exosa; verùm mei, meorumque confirmandorum ergò, hanc provinciam tuendam propugnandamq; me susceпisse: quamvis fortè ea præsidia non afferam, quæ ad tantæ causæ defensionem requirebantur, satis tamen mihi esse arbitror, bonam causam bono & sincero animo agere*, fideique nostræ veritatem contra mendacium, non de adversariis victoriam quærere, *amicorum denique quorundam votis, iteratisque petitionibus saltem paruisse, si non satisfecisse. Ut enim Laconicus ille Rex Pausanias*, satis sibi fore profitetur, si justa præcipiens & sancta faciens Spartanis suis placeat: *ita quidem tenui venâ mysteria Dei dicere si detur, sat mihi laudis erit. Meum ergo erat Adversarium ex insidiis agentem palam redarguere, confutationemq; hanc contra venenum, quod illo suo scripto Anonymus in gregem Christi spargere conatus est, veluti antidoton mittere; imò tanquam ex armamentario, spirituali παρασκευῇ, ad infensissimos hosce divinæ veritatis hostes conserendos & αἱρέσεως debellanda portenta, arma porrigere. Et hîc malui doctam & piam Antiquitatem sequi, Virorumq; doctissimorum doctè hâc de re differentium, felicius q; in hoc certamine, ut sciam, desudantium, & hostes tam fœdos semper superantium, explicationes retinere; secundumque eas Examen hoc fieri; quàm medi-*

lib. 3. comment. in Epist. ad Gal. lib. 1. de incar. c. 1.

Hier. ad versus Pelagianos.

meditationes proprias, quæ necdum ad guſtum Academicum maturuerunt, imprudenter obtrudere. Ubi etiam pectinatum ſermonem à me Theologo expectare negat rerum aſſequendarum in ſtudio illo labor & difficultas, etſi ea in dicendo mihi adeſſet facundia, procul nihilominus eam hinc relegandam cenſerem: haud enim aliter de rebus Theologicis cum quibuſdam judico, quàm de rebus Philoſophicis judicabat Cicero:

Cic. lib. 3 de finibus

Iſtiuſmodi res dicere ornatè puerile eſt, planè autem & perſpicuè expedire poſſe, docti & intelligentis Viri. *A ſatyricâ inſectatione me prorſus abſtinui, ſi quid tamen aſperitatis in Adverſarios dictum cenſeri queat, zelo & juſto pietatis affectui B. L. meritò adſcribet. Quidni enim hîc ad Adverſarios repetam verba Theodoreti, Dial. 1.* ὐ λοιδορῶμεν, ἀλλ' ἀληθείας ὑπερμαχοῦμεν, καὶ λίαν ἀχάλλουσιν, ὅτι τοῖς ἀναμφιλέκτοις, ὡς ἀμφιλέκτοις ζυγομαχεῖτε. Non convitiamur, ſed pro veritate præliamur, & graviter indignamur, quòd de rebus conceſſis ſive manifeſtis, tanquam de controverſis & dubiis litigatis. *Placuit demùm mihi integrum Adverſarii contextum inſerere, ut ſic ipſa veritas per quandam antiperiſtaſin (ut non nemo loquitur) exiſtâ hoſtili præſentia & vicinia robuſtior evaderet, ſcriptaque eorum ab ipſis Adverſariis ſuppreſſa, venenum ſuum clanculùm exerentia, omnibus pateſcerent. Quid verò plebeculæ æſtuatio effutiat, non admodùm laboro; cui nihil glorioſum magis, quàm quæ alii ſciunt, ignorare, & quæ ipſa ignorat vituperare, vel ex impuro pectore in omnium ſcripta virus evomere, & non niſi per alienæ famæ ruinam, ad gloriam gradum ſibi facere; cùm tamen*

—— plebiſque

— plebiſque cachinnus
Ortum virtuti, jucundaque pabula præbent:
Quòq; magis premitur ſapiens, magis inde reſurgit.

Tu interim Lector benevole, meum hunce laborem benignè interpretare, meoſque conatus, tuis apud Deum precibus promovere non deſine.

Dabam è muſæo meo Londini Anglor.
A. D. 1662. 16 *Maii.*

Judicium Viri Celeberrimi D. Henrici Wilkinſonii S. S. Theol. Doctoris, in eâdemq; facultate Profeſſoris, in Academia Oxonienſi, de Authoris opere.

QUum hujus Anti-Sociniani operis *Doctiſſimus Author*, mihi variis diſtricto negotiis legendi copiam indulſiſſet, quamvis curtim tantùm oculis luſtrare licuerit, ſtatim verò, quòd piis & orthodoxis omnibus placiturum eſſet, facilè ſenſi: pietatis & eruditionis haud vulgaris ſtricturas unamquamque referre paginam; tremenda Theologiæ myſteria cum gravitate & acumine elucidare authorem, in Scholaſticorum ſenticetis, & ſpinoſâ illâ Theologiâ ænigmata de facili ſolvere: latvas & impoſturas Satanæ in lucem protrahere, & omnibus propinaſſe deridendas ſummâ cum voluptate percepi. Quòd ad tam ſublimia & myſteriorum plena ſtudia, hujus *Eruditi Viri* aſpiret indoles, quòd iſta opinionum portenta & monſtra tam feliciter & fortiter profligaverit, non poſſum, non probare ſolùm, ſed admirari cogor. Imò nullus erit (niſi me fallat conjectura) qui authorem non ſuſpiciat, & qui tenerioris haud judicii, hoc illi tribuent, quòd veternum aliorum excitaverit, & multis quamvis eruditis palmam præripuerit.

A. 1662. 12 *Feb.*

Pie

Pio & Docto Juveni D. Paulo Jasz-Berenyi piè & doctè hanc Dissertationem de Trinitate scribenti, Paucula hæc lubens consecravit.

בפרשך מת יש יהוה אלהים
והוכיחך אולם לעמים רבים
מגדפים את יהוה
ושונאים כל תוכחה:
הראנו שתהיה שקור ללמוד תורה
וגברת תוכרך כמו מורה:
כי אזנך אל־פי חכמים
ותאסוף מחם לשמים:
יראו ויקהאו הזה מדרשך
וייראו כל־צורריך ממך:
כי אולת מזמותם
ונלכדו הם בדברם.

Valentinus Kereszturi,
S. S. Theol. Doctor.

Melioris & politioris literaturæ scientiâ Clarissimo Juveni viro Domino Paulo Jasz Berenyi Gente & domo Transylvano, longo rerum usu & experientiâ claro Domino & Amico non è multis.

ANgelus ille malus, nigrum turbatus ad orcum,
Fecit mortali multa pericla viro.
Quinimò *sponsam* vexavit sæpè venustam,
Spargens de *Christo* dogmata falsa Deo.
Ecce *Pharisæi Christum* dixêre futurum,
Ast hominem tantùm, nec docuêre *Deum*.
Dumque domos celsi cœli scandisset in altas
Post rigidam mortem (quâ sine nulla salus)
Dæmonis instinctu frendens *Ebionq́. Cerinthus*,
Præter *Judæos*, Ethnica dicta simul
Ante fuisse negant *Christum* quàm *virgine* natus
Atque parem Patri non doluisse λόγον.
Hoc fuit à Sancto convulsum dogma *Johanne*
Romæ cum Princeps Domitianus erat.

Stirpibus

Stirpibus & postquam crescens *Ecclesia* ab imis
Exivit toto cultus in orbe Deus
Tartareus *Princeps* Zizania sparsit amara
Romanus cum Rex *Aurelianus* erat.
Samosatenus enim spurci responsa *Cerinthi*
De *Christo* nixus vera probare *Deo*.
Per tria turbarunt *Sponsam* Sic secula *Christi*,
Cæsaris & hostes, jussa cruenta, cruces.
Constantinus erat fecit qui primus ab orbe
Possit ut optatâ *Sponsa* quiete frui.
Sed fuit illa quies paucos stabilita per annos
Ductorum populi *Candida paxque* brevis
Arrius Hæreticum virus, mirabile verbum
Æternum Patri consimile esse Deo
Diffessusque, lues patuli confinia mundi
Complevit, Fratrum bella cruenta dedit.
Nicænâ quanquam Synodo sententia tristis
Sic damnata; tamen *Dæmon* alebat eam
Africa persensit nec non *Saturnia* florens
Ac *Taurina* luem sensit ubique malam,
Sicut in eximiis Scriptis veneranda vetustas
Testatur, Patrum singula scripta monent.
At Deus æterni sobolis syncerus amator
Occiduas strato lumine peste plagas
Extulit, ac pestem felix Eos Arianam
Ut tulit in primis sicque nutrivit eam,
Donec *Turca* Dei Christi sævissimus hostis
Oppressis miserè partibus *Asiacis*,
Doctrinam vani *Mahometi* invexit in illas
Cum quâ consentit *Samosetana* fides.
Impius auriferam *Medicus Blandrata* sub oram
Transylvanorum transtulit hancce luem,
Dante Deo tandem sedulos doctósque *Ministros*
Decrevit multùm contagiosa *lues*.
Gratulor ingenuum quòd te mea *Patria* Civem
Nacta sit intentum rebus amande tuis,
Qui premis angustis *majorum* viribus ausus,
Integra munifici jura tuendo Dei.
Patria præsertim sævi certamina Martis
Cum sentit, tellus te peregrina tenet.

Scipcis

Scriptis antiquâ ſub Religione tueris
Fratres qui Jeſû *Dacica* terra fovet
Factum laude tuum dignum mea Muſa fatetur
Qui ſecus intendit *Zoilus*, alter erit
Cautam cujus agis regno penſabit amœno
Accipies laudes Poſteritate pias
Clara foret per te *Juzygum Proſapia* cunctis
Patria gaudebit dulcis amore tui.
Vive diu Chriſti qui contra nominis hoſtes
Tradideris ſcriptis arma decúſque tuis.

Ad Lectorem.

Hunc legito doctum Lector ſtudioſè Libellum,
Multi quæ tractant pluribus, unus habet.
Æternumque Deum ſi vis cognoſcere Chriſtum,
Quem meritò mundi machina tota ſtupet.
Ac quidam cœci convellere ſcomma Socini
Excutias oculis Lector amabo tuis.

Scribebat Clappeniî juxtà Londinum,

CASPAR ENYEDI,

Juris utriuſque Doctor.

Aggratulatio Votiva,
In eruditum opus Eruditiſſimi ac Cultiſſimi Domini
Pauli Jaſz-Berenyi Socinianas Strophas profligantis.

REgius ille animus! qui *ſcripta* ſuperba virorum
Ad ſacros potuit *fontes* revocare *Tonantis*
Indéque peſtiferos *æſtus*, & tetra *venena*
Detegere; & falſos *Momorum* ſolvere nodos.
Sic *tibi Regius* eſt *Animus Digniſſimè Paule*,

N2

Nam ſancto verbi completus flamine *Victor*
Disjicis elatum, tum dum *proſternis Athlantem*,
Tuque *pedo* parvo miles *fundâque* minore
Robore ſed firmo, detractas *pelle* bilingues
Non ſecus ac *David Goliathum* ad Tartara trudis
Quinimò *denſas* convellis in ordine *veprez*
Inter ut *alta* maneat ſic horrida *ſaxa* ſeneſcant.
Præbeat ergo *tibi* graciles *Hungaria* plauſus
Sylvaque ramorum *Zephiris* agitata *ſecundis*
Ut *tua* propediem ſurgat ſub nomine *Laurus*
Plaudite *iô Populi*! quotquot tenet inclyta *tellus*
Namque *Dei* reperit conſtantem *cauſa Patronum*

Summi animi teſtandi gratiâ fundebat.

NICOLAUS J. TETSI, *Hungarus.*

Ad Clariſſimum, Doctiſſimum ac Piiſſimum Virum,
D. Paulum Jaſz-Berenyi, *dogma S. Sanctæ*
Trinitatis, adverſus Calumnias cujuſ-
dam Anonymi defendentem.

HEu geſſit Satharæ miles ſub corde furores
Arrius indomitos, dum ſegregare gregem.
Aggreditur Chriſti præcep- animo maleſano,
Dæmonis & tetrum cingere ſlave caput!
Aeoendêre quibus cœleſti pectora flammâ;
Uberibus lacrymis hîc maduêre genæ;
Ut clariſſima teſtantur Patrum Monumenta,
Theſſalum enim Virus dogmat's evomuit.
Eſt auſus furibundus idem tentare *Socinus*,
Quem manet inferno pœna luenda loco:
Infandis horum crebro jactata procellis,
Sponſa tamen Chriſti fida min ſtra manet;
Crebra Caterva Virûm Doctorum dogma nefandum,
Amandavit enim ſemper ad antra ſtygis.

Strenuus en miles Domini *JASZ-BERENYI* perinde
Arma capit, Sathanæ turgida membra ferit,
Dogma Dei verum tradit, falſumque retundit
Ductum Scripturæ non rationis habens;
Nam cœcæ mentis Scriptura probé medicina
Nî verbum ſanet, ſananè quæſo foret?
Perge piis animo cœptis inſiſtere *PAULE*.
Qui tibi velle dedit, perficere ipſe dabit!

L. M. Q. Fundebat,

STEPHANUS J. TOLNAI.

Præconium Pelix
In Opus eximium Doctiſſimi & Acutiſſimi Domini
Pauli Jaſz-Berenyi *Tranſylvano Hungari.*

TECTA velut levibus ſpecioſa inmixa *ſaburris*
Fluctibus adverſis ſæpè petita ruunt;
Utque ſuos ſemper *Martis* victricibus armis
Hectora magnanimos *hoſtis* inermis habet;
Non minùs imbellem blaſphema *propago Cerinthi*
Hectora Jaſz-Brenium ſentit *Athleta* virum
Impia quæque etenim jactabat *charta Socini*,
Cumque aliis *Arrî lingua* doloſa viri,
Cœcutiens & quæ *ratio* ſublimia faſtu
Sparſit ut *invictam* contagioſa *luem*.
Hoc *Duce* victa jacent, medios qui ceſſit in *hoſtes*
Victor, ut ipſe *plagas* vindicet æthereas.

Veritatis ſtudiò datum à

VALENTINO KEOPECZI,
Tranſylvano Londini Anglorum.

ORTHODOXA
S. S. TRINITATIS
DEFENSIO.

Adversus erroneum cujusdam Anonymi scriptum.

Cujus hæc inscriptio,

Brevis Disquisitio, inter duas de S. Trinitate disputantium partes, utri tandem post longa certamina victoria tribuenda sit.

Studiò & Operâ

PAULI P. JASZ-BERENYI,
Transylvano-Hungari.

Londini, Sumptibus *Samuelis Brown* Bibliopolæ, ad Insignia Reginæ juxtà Cœmeterium S. *Pauli*.
1662.

Sir. 4. v. 33.

Pugna usque ad mortem pro veritate, & Dominus Deus pugnabit pro te.

Prosper de Vocat. Gent. lib. 1. cap. 21.

Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati.

Vincent. Lerinensis adversus Hæres. cap. 18. & 22.

Beata Catholica Ecclesia, quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine, & item Trinitatis æqualitatem in una divinitate veneratur: ut neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem; neque item Trinitatis distinctio unitatem separet Deitatis.

Nobiliſſimo Ampliſſimo Conſultiſſimoque
Magnæ urbis Londinenſis
Prætori,

D. JOHANNI FRIDERICO.
Cæteriſque Senatoribus prudentiâ & conſiliô graviſſimis.

Ut &

Sanctis Britannicis, Tranſylvaniciſque, imprimis Claudiopolitanæ, Saxopolitanæ, Debrecienſi, Rivulienſique Eccleſiis Reformatis; Deum Triunum ſanctè pièque profitentibus.

Gratiam & pacem à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

PRodeo in ampliſſimum Veſtrum conſpectum Nobiliſſimi Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri *chartaceo hoc munuſculo nomen* Veſtrum *illuſtrante: Indignares quam Vobis nuncupem; non enim eâ curâ & ſollicitudine pexum & calamiſtratum eſt hoc* opuſculum, *quali arte adornari ſolent ea quæ in lucem proditura ſunt, verùm rude, impolitum, ab alienaque gentis homine profectum. Sed ſi quæſiviſſem* faſtigio Veſtro *dignum munus, non habebam: ſi maximè conveniens, iſtud erat, ut ſub auſpiciis Veſtris lucem videret.* Vos *eſtis* quippe, *qui hujus opuſculi ruditatem Veſtrâ ſagacitate & admirandâ prudentiâ obtegetis.* Vos *eſtis qui pios tales conatus ambabus manibus & toto pectore amplexatis, promovetis.* Vos *eſtis qui afflictos erigitis,*

erigitis, exules recipitis, in religione zelatis, gloriam Dei omnibus rebus præponitis. Non ignorant nec etiam diffitentur, tam nostri, quàm alii etiam exteri fideles, quantùm Vestra heroica pietati & virtuti totus debeat orbis Christianus. Hæc enim beata illa Insula, *ad quam veluti* Oraculum *ex quatuor mundi plaga commeant & remeant, qui urbes, qui provincias, qui regna administrent, qui navi Ecclesiæ ministrent, eamque tempestatibus defendant. Quantâ igitur animi contentione possum & quantâ observantiâ debeo à Vobis* Nobilissimi Amplissimi & Consultissimi Viri peto, *ut chartaceum hocce munusculum, sanctæ cujusdam gratitudinis monumentum, apud Vos ad umbilicum perductum, vobisque submissè oblatum, manuque benevolâ excipite, inque faveris Vestri propensissimi complexum reponite, atque adversus hostium insultus scuto autoritatis Vestræ protegite. Ita, nomina Vestra Cedro digna venerabor, ac* summum Numen *pro Vestrâ incolumitate, tranquillitate perennanteque inter Vos aureâ unione, continuis votis fatigare non elassabor. Quod superest, Tu quoque* Sanctissima Christi Sponsa, *cui unus est* Sponsus, *unus* Dominus; *hancce pro adorandâ* S.S. Trinitate *velitationem causâ Tuâ susceptam, sustice ne despice; tenuitatem meam ne cures, sermonis infantiam ne spectes, una veritas,* Tibi *& mihi proposita est; liceat mihi apud* Te Matrem *quocunque modo balbutire; ut me Tui memorem esse cognoscas & amantem, Tibique ex alto benedictionem æternam, spiritualem & terrenam ex toto corde precari intelligas.*

V. A. D. Cultor devotissimus
Paulus P. Jasz-Berenyi,
Transylvano-Hungarus.

EXAMEN
DOCTRINÆ ARIANO-SOCINIANÆ.

DE DEO.

I. *Unus eſt Deus. Marc. 2. v. 7. Luc. 5. v. 21. Joh. 5. v. 44. Rom. 3. v. 30. 1 Cor. 8. v. 4. Gal. 3. v. 20. Jac. 2. v. 19.*

EXAMEN.

PRopoſiturus doctrinam ſuam de Deo, Patre, Chriſto, & Spiritu Sancto Confeſſor Socinianus; primò omnium ponit propoſitionem hanc: *Unus eſt Deus*, ſed valdè doloſè, ita ut quis poſſit accipere hoc ſenſu: *Unus eſt Deus*; Ergo una eſſentia Dei, ſive unus eſſentiâ Deus; & hactenus inter nos convenit: Vel, *Unus eſt Deus*; Ergo una perſona, ſive indiſtinctus perſonis, vel hypoſtaſibus, quam conſequentiam penitus negamus. Sed ut cuique conſtet de

mente Adverſarij, hanc ipſius propoſitionem in forma ſyllogiſtica proponemus. Mens itaque ipſius noſtro judicio hæc eſt: *Quod unum eſt, id trinum eſſe non poteſt. Deus unus eſt: Deus igitur trinus eſſe non poteſt.* Ad quod reſpondemus; Quodcunq; unum eſt, aut ſecundùm eſſentiam eſt, aut ſecundùm rationem unum, nec ulla ratione id unquam fieri poteſt, ut res eadem una ſimpliciter ſecundùm eſſentiam aut rationem ipſius, ſit unum & multa, niſi alium modum quis reſpexerit. Unum ſecundùm rationem Mathematicè in numeris obſervatur, & numeri in rebus nnmeratis. Quod autem ſecundùm eſſentiam unum eſt, id aut ſingulare individuum eſt, quod ſubjectum vocant Logici: aut unum commune, ut ſunt totum ſpecies & genus: aut communiſſimum, ut eſt proceſſio eorum quæ ſunt ab uno. Hæc autem quæ in rerum natura ſunt & dicuntur unum, ſive indiviſa, ſive diviſa ſint, hæc alio modo dicuntur multa. Nam ex eo quod ſubjecto unum eſt, pro modo accidentium conſtituuntur multa: quod toto unum eſt, ſecundùm partes in multa dividitur: quæ ſpecie ſunt unum, differunt numero: quæ unum genere, differunt ſpecie: quæ unum principio vel cauſâ (ut Græci olim dixerunt) multa ſunt proceſſionibus. Unde nonne ipſe videt Adverſarius, ea quæ reipſa ſunt unum, eſſe & dici ratione multa & multiplicia? qui hoc neſcit, naturam neſcit. Atque hæc Phyſica ſunt: quibus non ſecundum idem, quia toto genere hæc ab illis differunt, ſed potius ſecundùm analogiam reſpondent Metaphyſica: Spiritales

les enim intelligentiæ, ſi ad ſingulas reſpexeris, ſingula unum ſubjecto ſunt: ſi ad commune, ſuum illis totum, ſuæ ſpecies, ſua genera, ſui proceſſus tribuuntur jure: ſed omnia ſpirituali ac ſupernaturali, non materiato, corporeo, & naturali modo. Jam verò cum res divinæ non ſolùm Phyſicas, verùm & Metaphyſicas omnibus modis ſuperent, profectò Deitas non genere aut ſpecie cum re creata ulla convenit (nam unum abſolute eſt illius eſſe, infinitum unum; non ergo unum genere aut ſpecie cum re creata ulla) ſed eſſe illius eſt deitas, & totum infinitas ſimpliciſſima, quæ ratione ſolùm ſecundùm proceſſiones, ſive in ipſa, ſive extra ipſam ſint, unitate integra permanente, diſtinguitur: unitate autem prorſus indiviſa eſt ſecundùm eſſentiam & totam perfectionem ejus. Hoc igitur facto eſſentiâ Deus unus eſſe, proceſſionis verò ratione trinus vel ternus dicitur, creditúrq; in Eccleſia Dei. Quis jam non videat propoſitionem Adverſarii partim æquivocatione vocis *Unum*, partim ignorantiâ Elenchi laborare? ſubjectum enim & prædicatum alio modo dicuntur, cùm prius de eſſentia ſit, poſterius de ratione ſecundùm proceſſum, quæ in eſſentiâ diſtinguitur. Quod ad loca autem citata, quibus Minoris probatio niti videtur, illa ipſa unitatem eſſentialem (ut ita loquamur) non verò perſonalem nobis indigitant: in illis enim locis nomen Dei οὐσιωδῶς eſſentialiter accipitur, ita ut de Filio, & Spiritu Sancto æquè ac de Patre prædicetur: ut manifeſtè liquet vel ex duobus locis prioribus, *Marc.* 2. *v.* 7. & *Luc.* 5. *v.* 21. Ubi poteſtas

remittendi peccata Christo attribuitur, quæ tamen est solius Dei, fatentibus ipsis scribis, qui Christum eò quod potestatem remittendi peccata sibi usurparet, blasphemum asserebant. Eadem potestas remittendi peccata Spiritui Sancto attribuitur, *Joh.* 20. *v.* 22,23. Unde consequitur, quod nomine *Unius Dei* non solus Pater, sed & Filius, & Spiritus Sanctus, intelligantur: adeóque nomen *Dei* locis allegatis non ὑποστατικῶς personaliter, sed οὐσιωδῶς essentialiter accipiatur: Non enim potest particula *Unus* efficere ut sit proprietas personalis, & notio incommunicabilis, nisi naturam quoque incommunicabilem dicamus, quod tamen negant Adversarij.

II. *Solus Deus Israëlis est ille unus Deus, & præter eum, aut cum eo, nullus alius. Deut.* 4. *v.* 35,39. *&* 32. *v.* 39. 1 *Sam.* 2. *v.* 2. 2 *Sam.* 22. *v.* 32. 1 *Reg.* 8. *v.* 23, 60. 2 *Chron.* 6. *v.* 14. *Psal.* 18. *v.* 32. *&* 86. *v.* 10. *Iesa.* 44. *v.* 6. *&* 45. *v.* 5,14, 18,21,22. *&* 46. *v.* 9. *Hosc.* 13. *v.* 4.

EXAMEN.

LOcis his allegatis probatur unum esse Deum, nempe illum solum Deum Israëlis, de quo David. inquit, *Quis est Deus præter Jehovam? & quis fortis, præter Deum nostrum?* 2 *Sam.* 22. *v.* 32. *Psal.* 18. *v.* 32. Præter Jehovam. Negat igitur simpliciter ullum esse Deum præter Jehovam.

vam. Et tamen an non abundè docet David cum aliis Prophetis, & Apoſtolis, Filium & Spiritum Sanctum eſſe Jehovam? Nam populus ipſe Dei ait, *Peccavimus quod locuti ſumus contra Jehovam, Num.* 21. *v.* 7. Et Moſes ait, *Provocaſtis ad iram Jehovam, Deut.* 9. *v.* 7, 8. Et in *Pſal.* 106. *v.* 14. *Tentaverunt Deum in ſolitudine.* Atqui iſte non ſolùm fuit Pater, verùm etiam Filius teſte Apoſtolo 1 *Cor.* 10. *v.* 9. Et Spiritus Sanctus, teſte itidem Apoſtolo, *Heb.* 3. *v.* 7. nec non Eſaiâ Prophetâ Ieſa, 63. *v.* 10. Conſtat etiam unum ſolummodò eſſe Jehovam, qui hæc loquitur, *Ego ſum primus, & ego ſum noviſſimus: & præter me non eſt Deus, Eſa.* 44. *v.* 6. Quis eſt iſte Deus Jehova, primus & noviſſimus: præter quem non eſt Deus? num ſolus Pater? At ſi ita res habet, Chriſtus foret blaſphemus in Patrem, quod impiiſſimum eſt & horrendum cogitare. Ipſe enim de ſe ait, *Ego ſum primus & noviſſimus, Apoc.* 1. *v.* 17 Nomine igitur unius Jehovæ, præter quem non eſt Deus, non ſolus Pater, ſed etiam Filius, adde & Spiritus Sanctus, qui Spiritus eſt Chriſti & Patris ab utroq; inſeparabilis, continetur. Hæc igitur loca, qualia ſunt, *Eſa.* 45. *v.* 5, 14, 18, 21, 22. *Hoſ.* 13. *v.* 4. Ubi ipſe Jehova per Prophetas loquens, dicit ſe unum eſſe Deum. & præter ſe non eſſe alium, & ſimilia ab Adverſario citata; totam eandem doctrinam perbellè confirmant. Aut enim ibi loquitur ſolus Pater; aut cum Patre loquitur etiam Filius, & Spiritus Sanctus. Si cum Patre loquitur etiam Filius & Spiritus Sanctus ut

revera loquuntur, cùm etiam Filius sit Jehova, & Spiritus Sanctus Jehova, ut ostensum est antea: consequitur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum tantum esse Jehovam, & præter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum nullum esse Deum Jehovam. Nihil est clariùs, quam his locis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum concludere se solos esse unum Deum Jehovam. Si verò contendat Adversarius solum Patrem loqui in hujusmodi locis: tum dicimus primùm, illa particula exceptiva *Præter me*. Patrem scilic: nihil eum, qui in se est, à Deitate excipere: sed omnia, quæ sunt extra se; hoc est omnia, quæ sunt non ex suâ essentiâ, sed ex nihilo creata, ut erant dij Gentium, & idola Israëlis) Ait enim præter me (scilicet totum & quicquid est in me, ad meâmq; essentiam pertinens:) Atqui Filius & Spiritus Sanctus non sunt extra Patrem, sed in Patre, & ex Patris essentiâ, alter genitus, alter procedens: atq; adeò sunt ex Patris essentia, ut sint cum Patre una, & eadem essentia: uti antea est demonstratum. A Patris igitur Deitate, & à nomine Jehovæ, minime excludendus est Filius, aut Spiritus Sanctus, cùm Pater ait, *Ego sum Jehova, & præter me non est alius.*

III. *Deus*

III. *Deus Iſraëlis eſt unus Dominus* (Jehova) *Deut. 6. v. 4. Marc. 12. v. 29.*

EXAMEN.

DOminus Iſraëlis unus Deus eſt, teſte Moſe, populum Dei ſic alloquente: *Audi Iſraël, Jehova Dominus noſter Deus unus eſt, Deut. 6. v. 4.* Pater Filius, & Spiritus Sanctus, eſt Dominus Iſraëlis, ut patet ex his locis parallelis, in examine precedenti allatis: *Num. 14. v. 28 & 21. v. 5. 1 Cor. 10. v. 9. Deut. 9. v. 7. Eſa. 63. v. 10.* in quibus populus Iſraëlis tam Filium & Spiritum quàm Deum Patrem tentaſſe dicitur. Illud probatur ex deductione iſtius populi ex deſerto, quæ ſoli Deo per Moſem his verbis attribuitur: *Jehova ſolus populum deduxit, & non fuit cum illo Deus alienigena, Deut. 32. v. 12.* At præter Chriſtum Filium ejus, cum ipſo ſimiliter fuit Spiritus Sanctus; ut teſtatur *Eſaias, cap. 63. v. 14.* ubi Jehovæ quoque ſpiritum Iſraëlitas ex captivitate deduxiſſe affirmat, ut hoc opere admirabili nomen ſuum glorioſum redderet. Nec Filius igitur, nec Spiritus Sanctus, populum Iſraeliticum ex Ægypto deducens, alienigena, verùm uterque cum Deo Patre, ut idem cum ipſo Deus, iſtius populi dux fuit. Loco ſecundo *Marc. 12. v. 29.* Chriſtus aſſerit unum tantum eſſe Deum: citato ex *Moſe* oraculo & mandato, *Deut. 6. v. 4.* Interroganti enim ſcribæ, quod eſſet primum mandatum in lege, ſic reſpondit:

respondit: *Primum omnium mandatorum est: Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus (Jehova) unus est. Diliges igitur Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum, & secundum illi simile: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; majus istis aliud mandatum non est.* Cùm autem Filius & Spiritus Sanctus sint amandi teste Apostolo, 1 *Cor.* 16. *v.* 12. Non utique eo amore, qui præscribitur secundo præcepto: quo scilicet jubemur amare proximum, ut nos ipsos; præsertim cùm Christus non semel indicaret, se velle à nobis amari, plusquam, nostros liberos, parentes, & nos ipsos, *Matt.* 10. *v.* 37. Et jubeat nos propter se, odisse etiam Patrem, & Matrem, & animas nostras, *Luc.* 14. *v.* 26. Quare amor, quo amandus est Christus, non continetur in secundo præcepto. Amore igitur amandus est, qui præscribitur in primo præcepto, ex tota anima, *&c.* At hoc solus Deus ille, qui est unicus Deus Israëlis, amandus est. Ergo quis non videat Christum tacitè docuisse, se & Spiritum Sanctum unum esse cum Patre Jehovam illum Israelis, de quo *Moses*, Deut 6. v. 4. *Jehova Dii nostri, Jehova unus est.*

IV.

IV. *Hic Deus & Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, verbo & juſſu ſuo potenti creavit*, Gen. 1. Pſal. 8. *v.* 4, 7. & 33. *v.* 6. 9. & 89. *v.* 12, 13. & 148. *v.* 4. 6. Malach. 2. *v.* 10.

EXAMEN.

IDem ſaxum verſat Adverſarius, quod paulò ante commovit; reſponſio ergo eadem. Dicit enim eundem Deum & Dominum cœlum & terram creaſſe, cujus Dei & Domini fit mentio, *Deut.* 6. *v.* 4. Atqui illum Deum & Dominum eſſe Filium & Spiritum Sanctum æquè ac Patrem, in ſuperiori examine probatum dedimus. Ergo Deus ille & Dominus creavit cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt; qui eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Videamus tamen locum primum allatorum, quo probè intellecto, omnis à reliquis removebitur difficultas. *Moſes* itaque, *Gen.* 1. ait: In principio creavit אֱלֹהִים *Elohim* cœlum & terram: ubi per vocem pluralis numeri *Elohim* colligimus cum aliis viris doctiſſimis plures perſonas in illo eſſe Jehova, qui legitur creaſſe cœlum & terram; ac proinde non à Patre ſolùm, ſed etiam à Filio & per Filium, perque Spiritum Sanctum, omnia eſſe creata, vivificata, ſuſtentata & ſuſtentari: Nam quòd Hebræi nonnulli Deum nomine plurali *Elohim* appellatum fuiſſe ſcribunt honoris cauſâ,

sâ, aut ut multas esse illius perfectiones significaretur, frivolum est: cum nulla fulciatur vel auctoritate Scripturæ, vel ratione. Nam si honoris causâ illud fit, & quidem ex nativo quasi S. Scripturæ more, quî quæso fit, quod idem in aliis nominibus quæ æquè ac illa, Dominatum ac principatum significant, non observetur; v.g. in nomine מלך *Melech, Rex* ראש *Rosch, Caput.* שליט *Schallith, Dominium habens*, &c? Nusquam enim legitur unum aliquem Dominum & Regem inter homines vocari in plurali *Melachim, Raschim, Schallitim.* 2. Quod si etiam honoris causâ illud factum est, quî fit quod non passim illa consuetudo observetur? Nam in quamplurimis locis de illis, qui dominatum aliquem terrestrem aut œconomicum habent, sermo in singulari numero, non tantùm primæ & tertiæ, sed etiam secundæ personæ sermo habetur. Cum honor Dominis debitus, quocunque nomine & passim, eis exhiberi debeat. Contra verò nos & loca Scripturæ non pauca habemus: in quibus evincitur nomine אלהים *Elohim*, cùm de Deo Jehova prædicatur, plures in Deo hypostases indicari: Et rationes multæ suppetunt quibus id confirmetur. Ac primo quidem quoad loca: Sic ait Jehova inquit *Esaias* cap. 44. *v.* 24. עשיך *factores tui* & alibi בעליך עשיך *Mariti tui, factores tui, Jehova Zebaoth nomen* ejus. Et in *Psal.* 149. *v.* 2. Lætetur Israël בעשיו *in factoribus suis.* Item quod dixit *Abrahamus*, Gen. 20. *v.* 13. *Et fuit cùm errare fecerunt me* אלהים (*dii*) *de domo Patris mei.* De creatore autem omnium loque-

quebatur Jehova. Certè nisi quis velit esse ex professo & de industria contentiosus, & soli lucenti tenebras obducere; hæc apertè confirmant plures in Deo esse personas quæ per *Mosen* nomine *Elohim* significatæ cœlum & terram creârint. Et quod ad rationes, quamvis sint plurimæ, quibus eadem veritas confirmatur, nos tamen brevitatis causâ sequentes saltem adferemus. 1 Quia cum ejus singulare extet apud Hebræos, & in usu sit אלוה *Eloah* nulla eos cogit necessitas, ut ad ejus plurale confugiant. 2. Quia abstinendum potius erat sacris scriptoribus ab hujus vocis usu, cùm non latuerit eos non posse fieri absque periculo offensionis numerum pluralis personæ de Deo usurpare. 3. Quia est inusitata istiusmodi Enallage apud Hebræos, cujusmodi nihil in omnibus apud eos Enallages regulis ostendi potest: Quæ omnia inusitatam & admirandam ejus constructionem arguunt, & eo ipso unitatem essentiæ & pluralitatem personarum nobis demonstrant. 4. Adjicimus & hoc: Quia non aliam utique creationis causam effectricem deprædicat *Moses* quam Prophetæ & Apostoli; Atqui manifestum est Filium & Spiritum Sanctum (ut mox ostendemus) prædicari à Prophetis & Apostolis, rerum omnium, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris continentur, conditorem. Et quidem de Filio in promptu sunt nobis innumera S. Scripturæ testimonia, in quam rem tamen pauca hîc proferemus: Quale inter alia est illud Davidis, *Psal.* 102. *Jehova audi precationem meam*, Postea. v. 26. ait, *in principio terram fundasti, & opera manuum*

um tuarum ſunt cœli. Hic certè creationem rerum non adſcribit niſi Jehovæ. Apoſtolus autem totum hoc tribuit Chriſto, *Heb.* 1. *v.* 10. Ejuſdem eſt veritatis locus ille, qui ait apud *Eſaiam* cap. 45. v. 20. *Mihi incurvabitur omne genu:* Ibidem etiam dicit ſe feciſſe terram, & hominem ſuper eam creaſſe, & eorum militiæ imperare Quo ex loco apparet eundem eſſe creatorem omnium qui etiam futurus eſt omnium Judex, & cui omnes flexuri ſunt genua: Atqui Apoſtolus hoc tanquam de Chriſto dictum recitat, & interpretatur, *Rom.* 14. *v.* 11. *Oportet nos* (inquiens) *ſiſti ad tribunal Chriſti: quia ſcriptum eſt. Vivo ego, mihi flectetur omne genu.* Ad exceptionem autem Adverſariorum huc adferri ſolitam (ſcil. Hoc non convenire Chriſto per ſe, ſed ex accidenti, quod ei homini propter paſſionem & obedientiam erga Patrem datum ſit per gratiam ut ei incurventur genua) reſpondebimus in Examine ſegmenti xiii. de Chriſto.

De Spiritu Sancto quod ſit Creator cœli & terræ, æquè ſunt clariſſima S. Scripturæ loca; ex quorum numero unicum duntaxat lubet nobis proferre, qui eſt apud *Jobum* cap. 33. v. 4. *Spiritus Dei fecit me: & ſpiraculum omnipotentis vivificavit me.* Locus iſte apertior eſt, quam ut ulla valeant effugia: *Spiritus ipſe Dei fecit me,* inquit *Elihu*: Et de eodem ſpiritu dixit antea, cum dixit: *Sapientiam petendam eſſe à ſpiritu omnipotentis*, Job 32. *v.* 8. His conjungemus verba *Baſilii* Fol. 85. in *Pſal* 32. *v.* 6. (ab Adverſario quoque allegatum) *Ubi illi ſunt*, ait, *qui Spiritum Sanctum extenuant, qui à*

crea-

creatione ſeparant ? Ubi ſunt qui à Patre & Filii unitate ſemovent ? audiant Pſalmi hoc Verbo Domini cœli firmati ſunt. *Nec enim verbum communis hîc quadam eſt ex nominibus & verbis compoſita locutio: Nec Spiritus vapor eſt in aërem diffuſus. Sed verbum quod erat in principio apud Deum, & qui propriè appellatur Spiritus.* Ex his omnibus clariſſimum eſt, Deum & Dominum illum, qui creavit cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, de quo Deo & Domino loquuntur loca ab Adverſario allegata, eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, in unâ eſſentiâ Deum & Dominum, creatorem cœli & terræ omnipotentem, omniaq; quæ in eis ſunt ſuſtentantem ac conſervantem.

V. *Deus Iſraëlis Deus altiſſimus, Gen.* 14. *v.* 18, 19, 20, 22. 2 *Sam.* 22. *v.* 14. *Pſal.* 73. *v.* 11. *&* 77. *v.* 11. *&.* 78. *v.* 17. *Eſa.* 14. *v.* 4. *Ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus Dominorum: & quidem à nullo in eam dignitatem evectus. Deut.* 10. *v.* 17. *Pſal.* 50. *v.* 1. *&* 82. *v.* 1. *&* 136. *v.* 2, 3. *Dan.* 2. *v.* 47. *&* 11. *v.* 36.

EXAMEN.

MElchiſedechus benedicens Abrahamo, *Gen.* 14. *v.* 18. dicit, *Benedictus Abraham Deo Altiſſimo*; hoc eſt apud Deum Altiſſimum : qui ſcilic. Te vocavit, inq; ſuam gratiam recepit : & in

in hujusrei testimonium, istâ præsenti donavit victoriâ : quam vocum & rerum congruentiam, contextus ipse docet. Hic itaque Deus ille nuncupatur Altissimus, qui vocavit Abrahamum ; ille autem vocavit, qui fœdus cum illo iniit æternum. Auctorem autem esse fœderis non solùm Patrem, sed etiam Filium, docet Apostolus ; cùm ait, Fœdus seu testamentum confirmatum fuisse morte testatoris, *Heb. 9. v. 16.* Quis autem mortuus est, & sanguine suo fœdus confirmavit nisi Christus? Deus scilic. manifestatus in carne, 1 Tim. 3. *v.* 16. De quo idem Apostolus ait, Deum sanguine suo Ecclesiam redemisse, *Act. 20. v. 28.* Deinde Melchisedechus nomine *Altissimi* non solum Patrem, sed etiam Filium ejus Iesum Christum intelligebat : nunquam enim sejungendus est Filius à Patre : quia Filius semper est in Patre, ut passim sacræ literæ testantur. Unde concludimus quòd ubicunque nomen *Altissimi* in sacris literis de Deo prædicatur ; tam de Filio, quàm de Patre & Spiritu Sancto, qui ab utroque procedit, intelligatur. Dicitur autem *Deus Deorum & Dominus Dominorum, Deut. 10. v. 17. Psal. 50. v. 1. Dan. 2. v. 47. & locis reliquis* : non ad excludendum à Deitate Filium, & Spiritum Sanctum ; quibus nomen *Dei per se* & *propriè* competit, sed ad excludendos Deos sive *abusivè* & *merè putativè* ; sive *nuncupativè* & *participativè* sic dictos. Propterea etiam hoc suum nomen quibusdam proprietatibus circumscribit quæ sibi conveniunt ; ut se distinguat *propriè* ab iis quibus id nomen competit *appellativè*

tivè; quod ratum firmúmq; eſt, ſive οὐσιωδῶς & eſſentialiter dicatur, (ut his in locis) ſive ὑποστατικῶς & perſonaliter; qualis de Patre eſt locus, Joh. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te eſſe illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* & de Filio, Rom. 9. v. 5. *Eſt ſupra omnes Deus benedictus in ſecula.* Quod autem addit Adverſarius: *& quidem à nullo in eam dignitatem evectus:* hoc ipſum eſt gloſſema Socinianum; quaſi duos Sacræ literæ doceant numero Deos: alium naturâ, alium gratiâ: alium ſummum, alium ſubordinatum, &c. quæ quomodo poſſint conſiſtere cum naturâ Dei, Chriſtianus lector ipſe viderit.

VI. *Deus Iſraëlis, præter quem nullius alius ille unus Deus vel Deus Iſraëlis eſt, habet Filium:* 2 *Sam.* 7. *v.* 12---14. 22---27. 1 *Chron.* 17. *v.* 2---13, 20---24. *Actor.* 2. *v.* 30. *Joh.* 8. *v.* 54. *Et quidem unigenitum as proprium, Joh.* 3. *v.* 16. *Rom.* 8. *v.* 32. *quem à Spiritu Sancto & Virtute ſuâ in Maria Virgine genuit, Mat* 1. *v.* 20. *Luc.* 1. *v.* 31---35. *quem ſanctificavit & miſit in mundum, Joh.* 10. *v.* 34---36. *quem ex mortuis excitavit & glorificavit, Act.* 3. *v.* 13---15. *&* 13. *v.* 30---33. *Rom.* 1. *v.* 3, 4.

EXAMEN.

EXAMEN.

Deus Iſraëlis, præter quem nullus alius ille unus Deus vel Deus Iſraëlis eſt; De hoc actum ſupra: *habes Filium*; de eo nulla contentio, ideóque facilè prætermittimus, *& quidem unigenitum ac proprium*, *Joh. v.* 16. *Rom.* 8. *v.* 32. his verbis coëſſentialitas & conſubſtantialitas Filii cum Patre firmè adſtruitur: dicitur enim unigenitus & proprius Dei Filius: Ergo à Patre ſuum eſſe habet; quemadmodum ipſemet de ſe teſtatur apud Johan. *cap.* 7. *v.* 26. quia inquit *ab ipſo ſum*. Jam verò quia Pater hic æternus eſt, neceſſariò Filium æternum habeat oportet, æqualem ſibi per omnia, coæternum & conſubſtantialem: nam niſi ab æterno proprium & unigenitum ſuum Filium genuiſſet, æternus eſſe Pater deſineret, quod vel cogitare impium eſt; ſicut jam olim hoc argumento Arianos veteres impugnavit *Auguſtinus*; *ut videre eſt contra Felicianum*. *Vide etiam Damaſ*: *lib.* 1. *c.* 8. *de Orthod. fide*. *Et Ambroſ. lib.* 1. *ad Gratianum*, *c.* 5. *ſimili argumento convincentes Adverſarios*. Cæterum rejectis aliis cavillis, quibus Filij Dei æternam generationem eludi poſſe ſomniant, profugiunt ad 22 *cap. Gen. v.* 2. item 11 ad *Heb. v.* 17. Et Chriſtum eo modo cupiunt appellare unigenitum, quo Iſaac dictus eſt. In textu quidem Hebræo *v.* 2. *Unicum* legimus: ejecto nempe altero Iſmaële: *Capeſilium tuum* אֶת־יְחִידְךָ *unicum illum tuum*, *quem diligis Iſaac*: Lxx. verò Interpr. appel-

appellant ἀγαπητὸν (*dilectum.*) Sed etiamſi reddamus *unigenitum*, quemadmodum Epiſtola ad Hebr. μονογενῆ (*unigenitum*) vocat: conſtat tamen Dei oraculo, jam abdicatum fuiſſe Iſmaëlem ex familia Abrahæ, & in domo ejus, unde pulſus erat, inſtar mortui habitum fuiſſe: quia in Iſaac verò hærede promiſſionum vocari debebat ipſi ſemen. Chriſtus autem unigenitus eſt Patris, non quia nos eramus filij iræ, & rejecti a Deo: Sed quia ex ſubſtantia Patris genitus eſt ab æterno, quod ex omnibus ſcripturæ locis fideli animo confirmari potest: ubi omnino propriè, μονογενὴς vocatur. Si autem propriè, igitur genitus eſt è ſubſtantiâ Dei Patris, ſiquidem gignere propriè ſignificat aliquem è noſtra ſubſtantia nobis ὁμοούσιον procreare. Etſi verò id audacter negant. Adverſarii Ariani, & ſuos illos, quos confirmêre ac perperam accomodavêre, modos iterum urgent: certi tamen ſumus, quòd Chriſtus ſit unigenitus a Patre, plenus gratiâ ac veritate, non tam ob humanam, quàm æternam potiùs nativitatem. Ac reſpiciamus ſanè ad eos textus, quos ipſi convellunt, & à ſenſu vero nefariè abducunt. *Luc* i. *v.* 31—35. Angelus dicit, *Et ecce concipies in utero*, &c. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi inumbrabit te: propterea etiam quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*: διὸ ὃ particula ὃ innuit ſatis, Chriſtum non tunc demum ubi conceptus & natus eſſet, dictum Filium Dei, ſed ante conceptionem jam fuiſſe illius naturæ reſpectu, quâ non eſt à Spiritu Sancto conceptus, ſed ab æterno à

Patre genitus: Jam verò aliam quoque accedere cauſam, ob quam futurus ſit Dei potius, quam hominis Filius; quia non ex viri ſemine, ſed ex Spiritus Sancti virtute concipiendus erat. Quod obſervaſſe etiam *Epiphanium contra Hæres.* 30. *Ebionæi videlicet, legimus.* Atque ita fallacia non cauſæ ut cauſæ committitur ab Adverſario; non enim quia Angelus unam expreſſit cauſam, cur Chriſtus à virgine homo naſciturus Dei Filius futurus ſit: ideo excluditur alia cauſa, ob quam verè, & naturâ filius Dei ab æterno fuerit. Breviter: illud διὰ, *propterea* denotat cauſam cognoſcendi, non eſſendi: cauſam conſequentiæ, non conſequentis: quia is qui concipiendus erat ex Spiritu Sancto, non poterat alius eſſe quàm Filius Dei. *Joh.* 10. *v.* 36. expreſſè dicit ſe eſſe Filium Dei: *me* (inquit) *quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quia dixi Filius Dei ſum.* Probat enim ſe non eſſe blaſphemum. 1. Quia ſanctificatus, id eſt, ſanctus genitus, & delectus à Patre ac conſecratus, ut eſſet Mediator & Servator mundi. 2. Sanctificatus quoque ſecundum aſſumtam carnem: in qua miſſus ad ſanctificandum nimirum & ſervandum homines; quod, niſi verus & ὁμούσιος Patri Deus & ipſe ſanctitas eſſet, fieri ab ipſo haud unquam potuiſſet. Quod & altiùs aſſurgens, ſeque non nudum duntaxat hominem eſſe teſtatus ſubjicit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere: ſi non ego in Patre & Pater in me*, atque adeo unum ſumus (proinde naturalis et proprius ego Dei Filius) nolite credere: ut ſequenti

textu luculenter docetur. *Act.* 13. *v.* 33. hæc leguntur verba; *Eam promissionem, quæ apud Patres facta est, Deus adimplevit filiis illorum nobis, suscitato Jesu, ut etiam in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Inde inferre volunt, id quod a nobis ad æternam Christi generationem refertur, ab Apostolo accommodari ad resurrectionem Christi: Non equidem negamus, sed inde nondum firma consecutionis necessitas, quod hic locus non possit & debeat explicari de Filii ex Patre ante omnia secula nativitate. Apostolus ad resurrectionem propterea accommodavit, ut testatum faceret; quod Christus reipsa declarârit, resurgendo ex mortuis, se verum esse & naturalem Dei Filium, ante incarnationem quidem genitum, at tunc per miraculum gloriosæ resuscitationis verè patefactum. Alibi in Epist. ad *Heb.* 1. cap. *v.* 5. Non ad resurrectionem, sed ad divinam ejus majestatem hoc Psalmi dictum refert: probans inde hunc esse Dei Filium, quem ut primogenitum & unigenitum, constituerit Pater, hæredem universorum, per quem & secula fecerit, qui sit splendor gloriæ & character hypostaseos illius, omnia sustinens verbo suo. *Rom.* 1. *v.* 3, 4. apertè negatur Christus purus esse homo, & asseritur divina quoque ejus natura. Cum enim dixisset, *Christus est ex semine* David *secundùm carnem:* mox subdit: *qui declaratus est Filius Dei secundùm spiritum sanctificationis:* Ubi nomine Spiritûs, divina natura intelligi debet: ut ex antithesi clarum, qua carni spiritus opponitur, 1 *Pet.* 3. *v.* 18. secundùm

illam homo : juxta hunc Deus est: confirmante id *Tertulliano* contra Prax. Pag. 427. *Qui factus est*, inquit, *ex semine* David *secundum carnem , hic erit homo , & filius hominis : qui declaratus est Filius Dei secundum spiritum sanctificationis, hic erit Deus & sermo , Dei Filius. Vide* Ambros. *quoque in* 1. cap. ad Rom.

(I.) *Pater Domini nostri Jesu Christi est ille unus Deus* , Joh. 17. v. 3. Rom. 16. v. 27. 1 Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 6. 2 Tim. 1. v. 5.

EXAMEN.

QUòd de Deo Patre hactenus Confessor Socinianus egerit tacitè & implicitè , jam vero apertè & expressè, non temerè id, sed artificiosè & certo consilio factum. Sic enim se putavit facilius assequuturum quod tentat : nimirum ut persuadeat non esse Christum (quod ex Scripturis docemus) coæternum & verum cum Patre Deum ; sed factum esse ab illo Deum , id est, non naturâ , sed voluntate , non essentialiter , sed effectivè, non per se, sed per communicationem à Patre , non propriè, sed figuratè Deum appellari. Horret animus cogitantis & reputantis istam audaciam, quâ & Dei gloria traditur alteri quàm vero & essentiali Deo , contra quam apud Prophetas centies juravit Deus ; & tota Scriptura de Christo Filio Dei æterno obscuratur,

ratur, corrumpitur, atque pervertitur, & Christus Dei Filius exstirpatur funditus, & secundus Deus extra essentiam Dei introducitur ad abolendum illum solum verum Deum essentiâ unicum, personis trinum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & fides nostra ac communis salus, quæ finis est fidei nostræ, labefactatur quàm indignissimè. Sed ad rem. *Pater Domini nostri Jesu Christi* (inquit) *est ille unus Deus* Unde talis conclusio sequitur ex mente Adversarii: *Ergo Filius & Spiritus Sanctus, non sunt ille unus Deus*; quàm Adversarii argumentationem vel ipsi in Logica Tyrunculi rident. Quid enim? an ignorat Confessor Socinianus voces communes, ac non singulares & individuales, in re Logica spectari oportere? Singulare est *Petrus*, *Johannes*, &c. commune homo. De *Petro*, de *Johanne* quum agit Logicus, secundùm rationem communis agit, puta hominis, animalis, *&c.* Quemadmodum autem *Petrus* è ratione hominis non excludit *Johannem*, sic etiam persona è ratione deitatis sive essentiæ divinæ non excludit personam. Etenim quis argumentantem in hunc modum audiat? Johannes *est homo: non igitur* Petrus *homo est. Homo est animal, leo igitur non est animal.* Multò mirus audiendus à nobis fuerit qui dicet, *Pater Domini nostri Jesu Christi est ille unus Deus. Ergo Filius & Spiritus Sanctus non sunt ille unus Deus.* Ad loca verò in quibus tacitè urget (Confessor Socinianus) particulam *Solum* ad impugnandam Christi & Spiritus Sancti æternam Deitatem, responsio plana est. In loc enim, *Joh.* 17. *v.* 3.

Exclusiva *solum* non ad subjectum *te*, sed verius ad prædicatum, nempe *verum Deum* pertinet: ut constet hunc esse verum *Deum* solum, quem prædicant scripturæ; Patrem nempe mittentem, Filiumque missum & utriusque Spiritum. Nam de Filio similiter legimus quod sit *Deus verus & vita æterna*, 1 Joh. 5. *v.* 20. cui expositioni adstipulari videmus *Augustin. in Johan. Tractat.* 105. Hoc itaque Christi dictum non ad sui dejectionem dicitur, sed adversus falsos gentilium Deos; respondentibus omnibus ferè Patribus ut *Gregor. Nazianzeno Orat.* 4. *de Theol. Athanas. Serm.* 4. *cont. Arian. Basilio*, lib. 4. *cont. Eunom. in fine, & Chrysost. Homil.* 22. *in Matt.* Nam si Filius non esset natura veréque Deus ut Pater, quomodo se vero Deo conjunxisset dicens: *Et quem misisti Jesum Christum?* Non enim potest simul cum naturâ creatâ res increata cognosci, nec unquam cum creaturis connumerabitur. Ordo igitur verborum est: *Ut te & quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum*: consequenter enim & Spiritus Sanctus intelligitur: quia Spiritus est Patris & Filii tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum. Non rectè ergo resolvitur in hanc: *Solus Pater est verus Deus*, sed in istam, *Pater est solus verus Deus*: quam resolutionem ostendit Syntaxis Græca. Non enim legitur ἵνα γινώσκωσε σε μόνον τὸν ἀληθινὸν Θεὸν Sed ἵνα γινώσκωσε σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν Ubi quilibet videt articulum τὸν ostendere, particulam exclusivam μόνον, non ad pronomen σε sed ad ἀληθινὸν Θεὸν pertinere. Et ut particula à prædica-

to

to ſit removenda, nondum tamen excluditur Filius: Pater enim dicitur verus Deus ſolus, oppoſitè non ad Filium, ſed ad idola, ut modò dictum: Ut commodè loquitur *Cyrillus*, lib. 11. cap. 16. in Johan. *Cùm ſolum verum Deum Patrem appellat, ab hac gloria ſeipſum non ſeparavit: in Patre enim eſt & ex Patre; quare unus & ſecundùm naturam Deus & ſolus in ſolo eſt. Vide etiam Theophil. & Chryſoſt.* Hom. 29. *in Johan. hac de re commodè loquentes.* Integer textus *Pauli*, 1 Cor. 8. monſtrat multis Diis & multis dominis opponi unum Deum & Dominum: eumque vocare Patrem & Chriſtum: *Nam etſi* (inquit) *ſunt qui dicantur Dii, ſive in cœlo ſive in terra, ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus eſt, Pater ex quo omnia, & nos in illo: & unus Deus Jeſus Chriſtus, per quem omnia.* Ecce Chriſtum quoque Dominum & idcirco Deum: cui omnium rerum creatio et gubernatio hoc loco tribuitur; niſi quòd particulis ἐξ & διὰ *ex quo* & *per quem*, Pater tanquam fons Deitatis, à Filio qui genitus eſt, diſcernitur. Quod ſi ut Oecumenius congruè annotat, unus Deus tantum de Patre, etiam unus Dominus tantùm de Chriſto affirmabitur; & proinde falſum erit Deum eſſe Dominum quod teſtatur, *Pſal.* 95 *v.* 6. *Pſal.* 68. *v.* 4. *Jerem.* 33. *v.* 2. Ita particulæ *Unus* & *ſolus* excluſive uſurpantur reſpectu idolorum, quæ non ſunt Deus: aliquando tamen includſive etiam, ut Chriſtus ſolus eſt Servator, *Eſa.* 43. *v.* 11. *Ego ſum, ego ſum Jehova, & non abſque me Servator:* includi ſimul reliquas perſonas neceſſe eſt. Itaque rectè

Ambrosius: *Sicut dicendo Jesum unum Dominum, non negavit Patrem esse Dominum, sic dicendo Patrem unum Deum, non negavit Filium esse Deum.* In dicto ad Eph. 4. *v.* 6. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia & per omnia, & in omnibus vobis*: minimè sic distinguitur Christus à Patre; ut hic Deus, ille Dominus saltem sit: sed Apostolus ad veram unitatem adhortatus Ephesios, ostendit quomodo unum tantummodo Deum & Dominum colamus, atque ad unam fidem in S. baptismo astringamur: hoc argumento exstimulans & movens ipsos vehementer: Hunc autem Deum & Dominum vocat Patrem omnium, totam divinitatis οὐσίαν (*essentiam*) Patris nomine κατ' ἐξοχὴν (per excellentiam) iterum complexus: quemadmodum *Cyrillus* in Johanne multoties observavit Patris vocabulum οὐσιωδῶς (essentialiter) non ὑποστατικῶς (personaliter) haud infrequenter usurpari. Sed quomodo illi impiam suam doctrinam texunt? cùm ipsimet adversùs *Franciscum Davidis* doctorem Claudiopolitanum, qui solum Patrem invocandum esse, non unà etiam Christum, ad ravim usque clamitat ex locis, *Deut. 6. v.* 13. & *Matt. 4. v.* 10. *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies*, ita respondent. Faustus Socinus in Epistola de Invocat. Christi in Miscellan. p. 273. *Nomen* SOLUS, *& particula idem significantes, cùm de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi sunt subordinati.* Et Smalcius contra nova monstra Arianism. Martini Smiglecii, cap. 2. *Non excluſit ſeipſum Chriſtus,*

cùm

cùm hæc verba ex lege, Matt 4. *v.* 10 *citaret*. Quibus adſtipulatur etiam Gratianus Proſper in reſponſione ſua Elench. Sophiſt. cap. 11. *Eſt fallacia* inquit *ignorationis Elenchi. Particula enim* Soli, *non excludit Chriſtum, quem poſtea Deus nobis audiendum, honorandum & adorandum præfecit: Sed opponitur idolis & alienis diis, quos Judæi ſæpè lapſi, præter verum Deum colebant.* Inde colligimus: quòd particulam SOLUM nobis non rectè opponant Photiniani ex his locis, & imprimis ex Joh. 17. *v.* 3. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum*: nobis inquam, Deitatem Chriſti aſſerentibus. Aut ſuperius data eorundem reſponſio vacillabit. Ut enim teſtibus Photinianis non ſequitur: *Dominum Deum tuum adorabis & ei ſoli ſervies. Ergo Chriſtus hinc excluditur.* Ita rurſum non ſequitur: *Pater eſt ſolus verus Deus. Ergo Chriſtus non eſt verus Deus.* Utrobique eadem ratio pugnat. Cùm igitur, ſicut Pater verus Deus eſt, ita & Filius 1 *Joh.* 5. *v.* 20. & Spiritus Sanctus, *Act.* 5. *v.* 4. 1 *Cor.* 14. ſecundumque Philoſophum *Solus* idem ſit quòd non cum alio, & ideo tantummodo excludat illud quòd alietatem dicit; Filius autem non ſit alius à Patre in eſſentia, ſed tantùm in perſona; concludimus, has particulas *Unus* & *Solus* cùm Deo tribuuntur, non excludere incomprehenſibilem illam Patris, Filii & Spiritus Sancti conjunctionem, ſed falſorum ſaltem Deorum pluralitatem. *Vide Lombard. lib.* 1. *diſtinct.* 23. *Citantem in hanc rem Auguſt. Tom.* 4. *quæſt.* 122. *& Ambroſ. lib.* 3. *c.* 5. *et c.* 2. *l.* 2.

(11.)

(II. *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeminis vel Filii Davidis, & præter eum, aut cum eo, nullus alius eſt Deus Iſraelis,* 2 Sam. 7. v. 14, 22 --- 28. 1 Chron. 17. v. 13, 20 --- 26. Joh. 8. v. 54. Act. 3. v. 13 -- 15. & 5. v. 30.

EXAMEN.

PRopoſitionem hanc Adverſarii daremus, ſi in locis citatis Patris nomine unica Deitatis eſſentia, quæ tribus hypoſtaſibus communis eſt, intelligeretur, ut *Matt.* 23. *v* 9. item 2 *Cor.* 1. *v.* 3. Verùm cùm pro ſola Patris hypoſtaſi ſumatur, non eſt vera. Sicut enim Pater Deus eſt, ita & Filius 1 *Joh.* 5. *v.* 20. *teſte Cyrillo lib.* 12. *Theſau. cap.* 13. *Baſilio in c.* 65. *Eſa. Nazianzeno Auguſt. lib.* 1. *Trin. c.* 6. *Hilario lib.* 6. *de Trinit.* & Spiritus Sanctus. *Act.* 5. *v.* 4. ut examine ſuperiori demonſtratum. Duo autem tantùm loca hic nobis expendenda, cùm de locis his ſimilibus ſupra in *Examine Segmenti* 2. *de Deo* ex profeſſo dixerimus. In priori itaque loco *Joh.* 8. *v.* 54. Nihil aliud affirmat Chriſtus, quàm *Patrem ſuum eſſe Deum Judæorum*: hinc tamen minimè ſequitur, verum Deum non eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: aut Filium, item Spiritum Sanctum non eſſe Deum Judæorum. Nam iniqua eſt argumentandi ratio à dicto ſecundùm

dùm quid (ut loquuntur) ad dictum simpliciter, ab eo quod secundùm relationem dicitur, ad dictum absolutè, cùm relatio sit personarum, enunciata verò de essentia absoluta sint: aut etiam si mavis) ab affirmatione particularis ad negationem communis, seu cùm commune uni individuo tribuitur, & aliis individuis, quorum tamen non minùs commune est, detrahitur: ut Pater est Deus Judæorum, Ergo nec Filius, nec Spiritus Sanctus est Deus Judæorum. Quod perinde est, ac si quis ita argumentaretur; *Abrahamus est homo, Ergo Isacus, Iacobus, Moses, non est homo.* Vocat ergo Christus Patrem *Deum suum,* (respondente Nazianzeno Orat. 4. de Theol.) secundùm assumptam humanitatem, secundùm quam quidem non est Deus, sed habet Deum, utpote qui secundùm humanitatem est creatura. Cùm autem ex aliis plurimis Scripturæ locis evidenter constet, hunc eundem hominem Christum esse quoque secundùm personam atque hypostasin suum Deum, minimè illo modo dicendi *Deum meum & Deum vestrum* indicatur differre illum etiam hypostasi & persona à Deo, sed suâ humanâ naturâ, sicut & nos quoque differimus. Unde etiam tribus modis dicitur esse Christus Dei Patris. 1. Secundùm suppositum, ut est θεάνθρωπος & Mediator Dei & hominum, voluntariè nos adjungens sibi ad consummationem salutis nostræ. 2. Secundùm naturam assumptam, prout conditio naturæ humanæ est Deo subjecta. 3. Secundùm corpus Ecclesiæ, quod sibi tanquam capiti adunavit suo sanguine comparatum. In posteriore loco *Act. 3. v. 13.*

Deus

Deus ille Abrahami, Isaaci & Iacobi, Deus inqui Patrum nostrorum, qui filium suum glorificat dicitur verus naturâ Deus. At is non tantùm Pa est; sed & Filius Dei Christus, est Deus ille *Ab hami, Isaaci & Jacobi*, locutus olim Patribus Prophetis in veteri Test. ut qui fuerit, antequa *Abrahamus* esset, *Ioh.* 8. v. 58. Propterea Orth doxi Christiani in primitiva Ecclesia longè an Concilium Nicenum primum crediderunt & co fessi sunt, Filium Dei Christum esse Angelum il lum qui Patriarchis, *Mosi*, & aliis Prophetis ap paruit, & ad illos locutus est, & de se dixit: *Ego su Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi:* Id docent ip sorum scripta. *Iustin. Martyr in Apolog. secund pro Christianis ad M. Anton. super.* pag. 75. *Idem in Dialog. cum Tryphone Iud.* pag 219. & 220 *Irenæus Martyr adversus hæres.* lib. 4. cap. 11. *Cy prianus* lib. 2. *test. adverſ. Iud.* cap. 19. Idem de Spiritu Sancto affirmamus. Nam qui *Esaiam* a prophetandum misit, non fuit profecto alius quàm Deus *Abrahami, Isaaci & Iacobi:* Atqui Spiritus Sanctus is est qui *Esaiam* ad prophetandum misit, ut docet *Paulus* Apostolus, *Act.* 28. *v.* 25, 26, 27. Ergo non tantum Pater, sed & Filius & Spiritus Sanctus, est Deus *Abrahami, Isaaci & Iacobi.*

(III.) *Pater Domini nostri Jesu Christi est unus Dominus (Jehova)*

EXA-

EXAMEN.

PAter Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt unus Dominus, (Jehova) ſed non tantùm, verùm & Filius, & Spiritus Sanctus. Sciendum enim eſt nomen Jehovæ interdum eſſentialiter, atque abſolutè, Deo abſque certæ perſonæ divinæ determinatione; interdum relatè cum aliqua aut primæ aut ſecundæ, aut tertiæ perſonæ deſignatione, in ſacris Bibliis attribui, ex aliquot ſacræ Scripturæ dictis probabimus. Nomen *Iehova* Deo abſolutè & indiſtinctè apud *Eſaiam* his elogiis attribuitur; *Sanctus, ſanctus, ſanctus eſt Iehova exercituum: implet totam hanc terram gloria ejus*, Eſa. 6. *v.* 3. *Ego Jehova primus, eſt cum noviſſimis idem ego*, Eſa. 41. *v.* 4. & 44. *v.* 6. & 45. *v.* 12. *Ego ſum Jehova, illud eſt nomen meum*, Eſa. 42. *v.* 8. Hæc elogia ſoli vero ac ſummo Deo attributa Jeſu Chriſto & Spiritui Sancto cum Deo Patre communia eſſe, ex duplici eorum ad perſonas divinas accomodatione oſtendi poteſt, quarum priora iſta elogia ſimul ad tres perſonas divinas, poſteriora ad Deum Patrem ac Filium ejus unigenitum diſtinctè referuntur. De elogiorum iſtorum ad Deum Patrem applicatione, inter nos & Socinianos minimè diſputatur, ideoque illa nequaquam probatione noſtra indiget. Prius elogium *Eſa 6. v* 3. conſcriptum ad Chriſtum diſtinctè à *Johanne* Evangeliſta referri conſtat ex Evangelii ipſius cap. 12. *v.* 41. Ubi *Eſaias* encomium illud de Jehova ter Sancto proferens, gloriam Jeſu Chriſti vidiſſe

vidisse dicitur. Illudque *Act.* 28. *v.* 25, 26 ad Spiritum Sanctum applicari, manifestum est, ubi Apostolus *Paulus* ipsamet verba Jehovæ repetit, quibus *Esaiæ* præcipit, ut ad populum durum corde atque auribus proficiscatur. Secundum elogium, quo Deus per *Esaiam* se Jehovam *primum & ultimum* esse affirmat, *Johannes* Apostolus genuina explicatione cap. 1. suæ Apocalypsis tam ad Christum quam ad Deum Patrem ipsius adaptat, cum utrumque hac periphrastica descriptione celebrat: *Qui est, qui erat, & qui venturus est* Apoc. 1. *v.* 4, 8. Tertium Jehovæ titulo, *Ego sum primus & ultimus*, idem Apostolus Christum singulariter exornat, *Apoc.* 1. *v.* 8, 17. item cap. 22. *v.* 13. Sunt & alia quàm plurima loca in quibus nomen *Jehova* Christo applicatur, ut *Psal.* 45. *v.* 12. & 47. *v.* 3, 6. *Esa.* 25. *v.* 1. & 33. *v.* 22 & 54. *v.* 5. Nec non *Jerem.* 23. *v.* 6. *O Jehova justitia nostra*: quæ verba *Franciscus Davidis* quoque (eorum quondam in Transylvania primipilus) de Christo exponit, ut est *Actionis* 3. Notandum verò est secundùm quosdam nomina hæc *Jehova* & *Jesus* nihil vel parum differre, imò & significatione & literis inter se convenire, nisi quòd in nomine Jesus ה (He) literalis media & ultima syllaba detrahitur, ac pro ea, literæ ש (Sin) ex *Jehosua* substituitur. Atque hoc modo sanctissimum Dei nomen *Jehova* quod Hebræi ineffabile dicunt, mutatione unius literæ sit effabile; quemadmodum absconditus, incomprehensibilis & ineffabilis Deus, assumpto homine capit nobis esse cognoscibilis, vocatus *Jesus* vel *Jehosua* pro *Jehova*

(I V

(IV.) *Pater Domini nostri Jesu Christi est ille Deus, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt,* Act. 4. *v.* 24, 30. & 14. *v.* 15 -- 17. & 17. *v.* 24 - 31. *v.* 24 - 31. Rom. 1. Apoc. 4. *v.* 11. *Confer* cap. 5. *v.* 6, 7. *ubi ille, qui sedebat in throno, & omnia creavit, & propter cujus voluntatem sunt, & creata sunt, nempe Deus (veluti ex* cap. 19. *v.* 4. *liquet) ab Agno illo mactato Jesu Christo expressè discernitur.*

EXAMEN.

HÆc propositio quoque Adversarii rectè intellecta potest admitti; ut scil. Pater dicatur condidisse & conservare omnia Verbo & Spiritu: non ut mediis ac instrumentis, sed co-operatoribus, ita ut Patris nomine unica Dei essentia intelligatur. Ut enim Pater condidit & conservat omnia, ita & Filius, & Spiritus Sanctus. De Patre nemo inficiatur: de Filio liquet cùm alibi, tum imprimis ex loco *Iohannis* Evangelistæ & *Pauli* testimonio, ex *Ioh.* 1. *Col.* 1. *Heb.* 2. producto, ideoque lectorem Orthodoxæ doctrinæ studiosum ad sequentes nostras responsiones, ubi suo loco de his locis agetur, remittimus; ut ex iis perversitatem interpretationis Socinianorum cognoscat, quâ, Apostolos illos, in

locis

locis quæ citavimus, non de mundo rerum omni
ex nihilo creato, sed de mundo fidelium, in Chri
credentium, per Dei gratiam ac Christi Evangeli
instaurato, loqui, nimium credulis atque incau
Christianis persuadere satagunt. Ut alia omittam
testimonia in præsentia. De Spiritu Sancto sic
etiam de Filio liquidò apparet: Quia si Spiritu
Sanctus non creavit cœlum & terram, non est De
in terra ferendus: sic enim ait Jehova per Jeremi
cap. 10. v. 11. *Dii qui non fecerunt cœlum & te
rram, perdantur è terra.* Atque Spiritus Sanct
Deus vocatur in Scripturis ut jam ostendimus, &
in sequentibus clariùs demonstraturi sumus: neq
tamen talis Deus est qui è terra peidendu- sit. Q
attinet autem ad loca allegata, quibus conatur Ad
versarius creationem cœli & terræ soli Patri attr
buere, excluso Filio & Spiritu Sancto: Respond
mus Deum Patrem multis in locis dici *essen
in respectu creaturarum*, non autem *personaliter* re
spectu Filii quem genuit ab æterno Pater: atq
hic ille est Elohim qui creavit cœlum & terram, P
ter, Filius & Spiritus Sanctus. Deinde si etiam d
citur hoc de persona Patris distinctè, fit vario re
spectu, adeò ut nulla his verbis insit contradictio
nam Deus essentialiter Pater & Creator dicitur, qu
communis est trium personarum in creandis reb
operatio: at Deus Pater personaliter Creator dic
tur, respectu singularis termini à quo est principiu
creationis rerumque omnium. Nam communit
operationis non tollit singularem dispositionem pe
sonarum inter se, ad singularem dispositionis illi
termino

terminum in unaquaque, licet communi operatione. Hæc igitur loca omnia juſto ſenſu accepta probamus, malè objecta verò religioſè diſtinguimus.

(V.) *Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt Deus Altiſſimus*, Luc. 1. v. 31, 35. & 8. v. 28. Marc. 5. v. 7. *adeò Altus, ut etiam Filii ſui Deus ſit; Filii ſui inquam, non ſalem humanitatis Filii ſui, quæ à nonnullis, præter & contra Scripturas ſacras, & contra omnem rationem, propriâ ſubſiſtentiâ deſtitui dicitur.* Pſal. 40. v. 9. (*confer* Heb 10. v. 5 -- 10) Pſal. 45. v. 8. (*confer* Heb. 1. v. 8, 9.) Mich. 5. v. 3. Matt. 4. v. 7, 10. & 26. v. 46. Joh. 20. v. 17. Rom. 15. v. 6. 2 Cor. 1. v. 3. & 11. v. 31. Eph. 1. v. 3, 17. Coloſſ. 1. v. 3. 1 Pet. 1. v. 3. Apoc. 3. v. 12. *Ipſe eſt major Filio ſuo.* Joh. 14. v. 28. *Ipſe eſt Caput Chriſti Filii ſui*, 1 Cor. 11. v. 3. *Ipſe Filium ſuum, Jeſum crucifixum, Dominum ac Chriſtum fecit:* Act. 2. v. 36. *hunc dexterâ ſuâ exaltavit Principem & Salvatorem*, Act. 5 v. 30, 31. *unxit eum oleo lætitiæ, ultra conſortes ejus*, Pſal. 45 v. 8. Heb. 1. v. 8, 9. *Spiritu Sancto & Virtute*, Act. 10. v. 38. *Omnia ſubjecit ſubpedes Filii ſui, excepto ſe ipſo. Cum*

 autem

autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjicietur illi, qui ſubjecit ei omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus, 1 Cor. 15. *v.*27,28.

EXAMEN.

IN hoc ſuo ſegmento Adverſarius ſic primò videtur argumentari ex loco, Luc. 1. v. 32, 39. *Verus Deus eſt altiſſimus ille, extra quem nullus eſt Deus; At Chriſtus non eſt altiſſimus ille: quia eſt Filius ejus; Chriſtus igitur non eſt verus Deus.* Reſpondemus; Si nomen Altiſſimi in aſſumptione intelligatur eodem modo, quo intelligitur in propoſitione, videlicet ad ſignificandum Jehovam, tum aſſumptio eſt falſa: nec probatur ex eô quòd Chriſtus dicitur eſſe Filius Altiſſimi: tum nomen Altiſſimi per Synechdochen generis intelligitur de ſolo Patre. At nihilominus Chriſtus unâ cum Patre eſt Altiſſimus ille, id eſt Jehova. Si verò nomen Altiſſimi in aſſumptione intelligatur de Patre: tum quatuor exiſtunt termini, nempe ex homonymia vocabuli Altiſſimi: quippe quod in propoſitione accipitur propriè ſeu ſimpliciter, & ſignificat ipſum Jehovam: in aſſumptione verò accipitur Synechdochicè & ſignificat Deum Patrem. Ad hæc nonne ſummæ eſt impudentiæ, Chriſtum propterea negare Altiſſimum, quia ſit Altiſſimi Filius, nempe Dei Patris non autem eſſentiæ divinæ, ſive Dei abſolutè conſiderati? Imò quia Altiſſimi Patris Filius, ideo

ipse Altissimus est: Id quod vates *Zacharias* ode sua profitetur, v. 76. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis:* oportet namque Filium ejusdem cum genitore suo naturæ esse, quemadmodum Consulis Filius & ipse homo est, & Adæ Filius homo est, nec in essentia est diversitas. Est igitur ὑιὸς Θεοῦ etiam sive Altissimus Filius. 1. Quia Deus & ejusdem cum Patre essentiæ. Deinde est inter omnes creaturas quatenus homo, ob unionem hypostaticam Altissimus. 3. Ob exaltationem quoque ad dextram Patris, quomodo excelsior cœlis factus, & accepisse nomen supra omne nomen legitur, *Phil.* 2. *v.* 10. *Heb.* 7. *v.* 27. Quæ ejus sublimitas & gloria nullo Diaboli furentis impetu convelli & comminui unquam potest. Ad loca *Psal.* 40. *v.* 9. *Joh.* 20. *v.* 17. *Psal.* 45. *v.* 8, &c. quòd Christus suum Patrem, suum vocet Deum: hoc non intelligitur simpliciter & absolutè, ut supra quoque monuimus, quicquid obstrepat Confessor Socinianus. Respectu enim divinæ in Christo naturæ, Pater ejus, non dicitur ipsius Deus: quia eo respectu Apostolus vocat Christum *Deum super omnia benedictum*, Rom. 9. v. 5. *Magnum Deum*, Tit. 2. v. 13. *Deum manifestatum in carne*, 1 Tim. 3. v. 16. *Et Dominum gloriæ*, 1 Cor. 2. v. 8 Sed humanæ naturæ respectu, & ratione etiam officii Mediatoris: Et quidem respectu duplici; *Creationis* scilicet & *confœderationis*; neque eâ tantum ratione, quâ dicitur Deus quoque noster, verùm præstantiori longè. Et quoad *Creationem:* nam primò nos creavit sine opera nostra; deinde ordine naturali, ex semine

Parentum. At humanam Christi naturam ita ipse Pater creavit, ut per Filium ipsum creârit, & quidem vi Spiritûs Sancti perfectissimam omnium creaturarum. Deindè quoad *confœderationem*: sumus in fœdere Dei, non propter nos, sed propter alium, nempe propter Christum. Christus verò in est in fœdere, ut caput sit omnium confœderatorum hominum, proindè *Mediator Novi Testamenti dicitur*, Heb. 9. v. 15. Eadem ratione (scilic. respectu humanæ naturæ & officii Mediatoris) dicitur esse *Pater major Filio suo*, Joh. 14. v. 28. *Caput Christi Filii sui*, 1 Cor. 11. v. 3. *Filium suum Jesum crucifixum, Dominum ac Christum fecisse*: Act. 2. v. 36. *eum dexterâ suâ exaltasse Principem & Salvatorem*. Act. 5. v. 30, 31. *unxisse eum oleo lætitiæ, ultra consortes ejus*, Psal. 45. v. 8. *Spiritu Sancto & Virtute*, Act. 10. v. 28. tum quia alibi Christus dicit *se & Patrem unum esse*, Joh. 10. v. 30. tum quia dicitur, *factus* quidem Dominus & Christus; at non factus Deus, quæ sunt dissimilia maximè *Theodoreto in* Psal. 2. *Dialog.* 6. *Hugone in* Psal. 109. *Athanasio Serm.* 3. *cont. Arian. Basilio lib.* 2. *cont Eunom. Cyrillo lib.* 9. *Thesau cap.* 3. *Augustino & universis penè Patribus attestantibus*: Deus enim est naturâ Dominus, & Christus voluntate atque institute, si ad personale dominium respexerimus: Deus est absolutè, Dominus & Christus relatè & respectu nostri: Deus est essentialiter, Dominus & Christus accidentariè: Deus est formaliter secundùm naturam divinam suam, Dominus & Christus secundùm utramque in unitate personæ: tum quia dicitur

cum exaltasse in persona sua; ut qui secundùm divinitatem per dispensationem voluntariam & singularem gratiam, secundùm humanitatem per gratiam unionis omnes & singulas partes veri Domini & Christi ac Mediatoris præstiterit in se unitate personæ suæ ad redemptionem & salutem nostram: tum quia *unctus est ipso oleo itemque Spiritu Sancto & Virtute*, non ex indigentiâ naturali donorum Spiritûs Sancti; sed ratione officii quo est Propheta, Sacerdos & Rex; ac proinde unctus est non simpliciter ut Deus, sed ut Christus, nostrâ causâ & nostro bono. Concludimus ergo Christum Filium Dei, Deum ab æterno esse, non factum, sed genitum: Dominum verò non genitum, sed factum respectu dispensativæ hujus dominationis, propter quam in plenitudine temporum caro factus est, & est διάθεσις ad salutem nostram. Porrò rectè *Christus Patri subjiciendus dicitur, regnumque ei traditurus*, 1 Cor. 15. v. 27, 28. Nam *subjicietur* posito deditoque regno, tum secundùm humanitatem suam in personâ suâ; Tum secundùm accessionem suam in personâ Ecclesiæ suæ: *regnum* autem *tradet* etiam secundùm divinitatem suam, puta dispensativum illud & temporarium, quod in aniens esse divinitas ejus in se receperat per dispensationem gratiæ: idque *ut Deus sit omnia in omnibus*, & ipsa quoque divinitas Christi, quæ esse κατὰ φανέρωσιν propter nos exinaniverat, regno illo suo æterno, divinoque, perfruatur cum Patre & Spiritu Sancto κατὰ φανέρωσιν in plenitudine gloriæ. Quamobrem Christum Deo Patri hoc modo subjectum fore agnoscimus,

noſcimus, & in ea ſpe gloriamur, neque ullam hoc ipſo in divinitate inæqualitatem Chriſti cum Patre ſtatuimus.

DE CHRISTO.

I. *Deus ſtatim à condito mundo lapſis hominibus promiſit Salvatorem, nempe Semen Mulieris, contriturum caput ſerpenti.* Gen. 3 v 15 *Semen Abrahami, in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ:* Gen. 22. v.18. & 26.v.4. Gal. 3.v.1,6. *promiſit Semen Davidis, quod non ſolùm Davidis, (ſecundùm carnem) ſed etiam Dei Iſraëlitarum, (ſecundùm ſingulariſſimam & excellentiſſimam & ſublimiſſiman generationem, de quâ Scriptura ſacra paſſim clarè loquitur) Filius futurum erat, cujus thronum Deus, Pater ipſius, promiſit firmare in æternum,* 2 Sam.7.v.12 - 14 1 Chron. 17.v.11 - 13. Act. 2. v. 30. Luc. 1.v. 31 -- 35. Joh. 10 v.34 -- 36. Act. 13.v. 30 -- 33. Pſal.2 v.7. Rom 1. v.3,4.

EXA-

EXAMEN.

AEternam & veram Filii Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti divinitatem labefactaturus Confeſſor Socinianus, ſic primùm videtur argumentari: *Qui futurus dicebatur & præſignificabatur, nondum erat. Chriſtus promiſſus futurus dicebatur à Moſe*, Gen. 3. v. 15. Gen. 22. v. 18. & 26. v. 4. item Gal. 3. v. 16. *& præſignificabatur umbraculis. Igitur nondum erat.* Reſpondemus. Major ambiguè dicitur: nam qui dicitur aut ſignificatur futurus, is aut ſecundùm ſubſtantiam futurus dicitur, ſignificaturque; aut ſecundùm modum & manifeſtationem illius: præterea aut ſecundùm totum, ſi nihil dum eſt illius, aut ſecundùm partem, ſi quid inſuper eſt acceſſurum. Hinc Minor exponenda: Chriſtus non ſecundùm ſubſtantiam perſonæ ſuæ divinæ futurus dicitur aut ſignificatur, ſed ſecundùm modum manifeſtationemque illius in aſſumpta carne: nec ſecundùm totum ſui extiturus dicitur ſignificaturve, ſed tantùm ſecundùm illam (ut ita loquamur) particulam quam aſſumpſit, nimirum carnem, de Virgine Maria. Sic concluſionem benè intellectam non dubitamus approbare: nondum erat Chriſtus, nimirum ſecundùm carnem; ſed erat tamen ſecundùm æternam perſonæ divinæ ſuæ veritatem: *Filius enim Dei factus eſt ex ſemine David*, Rom 1. v. 3. Ergo extitit priuſquam ex ſemine *Davıd* fieret. Et hoc ipſum paſſim docet Scriptura, ὁ λόγος *erat in principio*, hoc eſt, cùm omnium re-

rum primordia fierent erat apud Deum, Joh. 1. v. 1. *Sapientia Dei edita erat priusquam hic mundus existeret*, Prov. 8. v. 25. *Hic idem sermo est creator omnium rerum*, Heb. 1. v. 10. Joh. 1. v. 10 Col. 1. v. 16. *Hunc itidem sermonem Scriptura docet factum esse hominem*, Joh. 1. v. 14. Gal. 4. v. 4. Phil. 2. v. 6. Heb. 2. v. 14 1 Tim 3. v. 16. Certum igitur est Filium Dei habuisse existentiam suam ab æterno, & assumptâ carne tempore *Augusti* factum esse hominem. Deinde dicitur in textu: *Secundùm carnem:* hac limitatione ostendit filium Dei non simpliciter: sed secundùm id, quod ex semine *Abrahæ* assumpsit, factum esse hominem, & hoc rectè. Mansit enim quod erat, & factus est, quod non erat. Similis limitatio est, Rom. 9. v 5. *Ex quibus* (patribus) est Christus τὸ κατὰ σάρκα *quoad carnem*, quasi dicat, no ἁπλῶς, neque τὸ κατὰ θεότητα; sed τὸ κατὰ σάρκα. Nam præterquam quòd erat τὸ κατὰ σάρκα ex Patribus, erat etiam super omnes Deus laudandus in secula. Additur v. 4. *Declaratus Dei Filius:* Non est factus Dei Filius: nam fuit ab æterno Dei Filius, ut ante ostensum est, sed declaratus est Dei Filius: divina enim ejus majestas quasi delitescebat sub carne, hoc est, non exercebat vim suam ad repellendos cruciatus, quos loco nostro sustinebat, *Phil.* 2. v. 6. Nam licet aliquando suis operibus Deitatem suam declararet: tamen illud non ita apparuit priusquam propriâ virtute ex morte in lucem rediret. His ita expensis facilè est cuilibet hæc omnia & similia loca posse & debere intelligere, non de tota Christi persona, sed de manifestatione

festatione ejus in carne assumpta. Quòd autem subjungit Confessor: *promissum illud semen Davidis* (i. e. Christus) *quod non solum Davidis, secundùm carnem, sed etiam Dei Israëlitarum secundùm singularissimam & excellentissimam, & sublimissimam generationem, Filius futurum erat*; est manifesta falsitas & merum Socinianum commentum: imò potiùs quia naturâ & verè Dei Filius est, singularem oportebat ejus esse ex Virgine partum. Per ista enim quæ in tempore facta sunt, revelatur nobis ejus divinitas Est μονογενὴς unigenitus Patris ὁ ὢν εἰς τὸ κολπὸν τοῦ πατρός, *Joh.* 1. *v.* 18. Hoc est ut ipse interpretatur *Chrysost.* ὁ ἀχωρίστος, τῆς οὐσίας καὶ τῆς ἀγάπης πατρικῆς ἐν φύσει: & ratione æternæ suæ generationis ἀμήτωρ: est item πρωτότοκος *sive primogenitus* Mariæ, *Matt.* 1. v. 25. & ratione temporalis nativitatis ἀπάτωρ. Itaque posterior nativitas quæ est sine Patre revelat nobis æternam, quæ est sine Matre, & unigenitum à Patre ex essentia Patris natum esse confirmat. Idque ex Angeli etiam verbis demonstrari potest, Luc. 1. v. 35. *Id quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei:* Verbum enim caro factum sive λόγος incarnatus agnosci ab hominibus talis debuit qualis semper fuit apud Patrem: ut Filii Dei nomen conjunctim jam in utramque simul competat naturam, divinam, quatenus verus Deus: humanam, quatenus à Filio Dei assumpta κεκληρονόμηκεν summum hoc nomen, ut loquitur Epist. ad Heb. 1. v. 4. Miraculosa igitur conceptio, non potiori jure facit Christum Filium unigenitum Dei Patris, quàm

Adamum

Adamum ſua creatio ; adeòque etſi ſit illa cau
cognoſcendi Filiationis, nec tamen eſt cauſa eſſe
di ſive conſtituendi, Gloſſam hanc Socinianam
(ſcilic. *Filius Mariæ id eſt Chriſtus dicitur Filius
Dei, quia conceptus ſit à ſpiritu Sancto*) tanquam
falſam & impiam ſequentes quoque rationes refel
lunt. 1 Quia hoc pacto Spiritus Sanctus eſſet
Chriſti Pater : Quod nulla Scripturæ linea, aut li
tera monſtrari poteſt aut poterit ; idque propterea
quia Chriſtus ut homo per naturalem humanam ge
nerationem quæ hîc deeſt eſt ἀπάτωρ, *Heb.*7. v.3.
Et Spiritus Sancti efficaciâ hæc maſſa humana in
utero Mariæ virginis concepta eſt non σπερματικῶς
ſed δημιουργικῶς loquente Damaſceno : l. 3. 2. Qui
hoc pacto, ſequeretur Spiritum Sanctum eſſe com
poſitum, qui è ſuâ eſſentiâ dederit ſemen : eſſe cor
poreum, quia nonniſi è ſemine corpus Chriſti exi
tit. Utrumque abſurdiſſimum. 3. Quia Chriſtus
κατὰ σάρκα eſt factus è ſemine Davidis, *Rom.*1.
v. 3. è fructu lumbi ipſius, *Act.*2.*v.*30. è patribus
*Rom.*9. v.5. Ergo κατὰ σάρκα non extitit è Spiritu
Sancti ſemine. 4. Quia hoc pacto tota S. Trinitas
eſſet Pater Chriſti, tanquam Filii Dei, ſiquidem
tota S. Trinitas plaſmavit tanquam opus ad extra
carnem ejus in perſonam τῦ λόγυ aſſumptam. At
Chriſtus hactenus in tota Eccleſia Chriſtiana habi
tus eſt pro Filio non totius S. Trinitatis, ſed non niſi
Patris, ſeu primæ perſonæ. 5. Quia Chriſtus qua
homo ; hoc modo non eſſet ipſe Filius Dei proprius & naturalis atque, ſic relinqueretur in circulo me
darum creatutarum, & conſequenter hoc reſpectu in

se & per se debitor esset legis implendæ; Pro nobis ergo sub legem dari illamque implere non potuisset. Quod est contra scripturam, & fundamentum Christianæ Religionis simpliciter evertit. *Marc.* 2. v. ult. *Gal* 4. v. 4.

II. *Hunc Salvatorem virgo Maria, Josephi sponsa, ex superveniente in eam Spiritu Sancto, & inumbrante eam Virtute Altissimi, in utero concepit, & Augusto Cæsare imperante Bethlehemi peperit, fasciisque involutum reclinavit in præsepio: porrò die octavâ ritu Judæis usitato eum circumcidi, & veluti Angelus Gabriel prædixerat, nomen ejus Jesum vocari curavit, &c.* Luc. 1. v. 31--35. & 2. v. 1.--21. &c. *Ipse verò puerulus Jesus crevit, corroboratus est Spiritu, profecit ætate & staturâ, simulque sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines:* Luc. 2. v. 40, 41, 52. *trigesimo autem ætatis suæ anno à Johanne baptizatus est,* Luc. 3. v. 21, 23.

III. *Nimirum idem ille Jesus, quem Johannes in Jordanem baptizavit,* Matt. 3. v. 16, 17. Marc. 1 v. 9 -- 11. *Qui à diabolo fame, & temeritate, & ambitione tentabatur;* Matt. 4. v. 3, 6. &c. *Qui ad discipulos*

suos

ſuos venit, ſuper mari ambulans; Matt. 1
v. 25, 33. *qui cum diſcipulis ſuis loqueb*
tur, Matt. 16. v. 13, 16. *Qui coram aliq*
diſcipulis in monte, inter orandum, tra
formabatur; Matt. 17. v. 1--5. Luc. 9.
29, 35. *qui tempore miniſterij ſui, in ter*
ignoravit diem & horam, in quibus cæl
& terra præteribunt: Mat. 13. v. 31, 3
qui mulieri Samaritanæ loquebatur; Joh.
v. 25, 26, 27. *quem cæcus natus videbat,*
cum quo loquebatur. Joh. 9. v. 35 -- 3
Qui Hieroſolymis à ſedente Senatu, pr
ſuam confeſsionem, (*nempe quòd ipſe*
Chriſtus Dei Filius,) *blaſphemus procl*
matus, & ad mortem condemnatus eſt, Ma
26. v. 63 -- 66. *qui in cruce pendens, cu*
magno clamore emiſit ſpiritum, Matt. 27
v. 50, 54 Marc 15. v. 37, 39. *qui trad*
regnum Deo & Patri, & tunc ipſe eti
ſubjicietur illi, qui ſubjecit ei omnia, 1 Co
15 v 24, 28 *hic homo Jeſus & nulla*
alius, eſt verè (*ſecundùm effata locor*
modò citatorum, & totius ſacræ Scriptur
Filius Dei viventis: & quidem Unige
tus, Joh. 1. v. 18. & 3. v. 16. *ac pr*
prius: Rom. 8. v. 32. *nullatenus v*
inſubſiſtens aliqua humanitas, quam Un
geni

genitus Dei filius ad ſuam Perſonam aſſumpſerit.

EXAMEN.

MUlta hîc accumulantur ab Adverſario, quæ omnia eadem reſponſione diluenda. Idecque uno ſyllogiſmo complexi hoc modo proponimus. *Cui actiones & operationes humanæ tribuuntur, itemque qui infirmitatibus & παθήμασιν humanis obnoxius eſt, ille eſt verus homo. Chriſto actiones & operationes humanæ tribuuntur; itemq; infirmitatibus & παθήμασιν humanis obnoxius eſt. Ergo eſt verus homo.* Aſſumptio probatur teſtibus divinâ autoritate celebratis. *Chriſtus faſciis involutus eſt; Repoſitus in præſepe; circumciſus octidnanus*, Luc. 2. v. 7, 21. *Educatus crevit ætate & ſtaturâ*, Luc. 2. v. 40, 41, 52. *Fame conflictatus eſt; Tentatus eſt*, Matt. 4. v. 3, 6, &c. *Ignoravit diem & horam judicij*, Marc. 13. v. 31, 32. *Ab hoſtibus captus eſt*, Matt. 26. v. 50. *Crucifixus eſt*, Matt. 27. v. 35, &c. Reſpondemus ad Argum. Totum damus. Eſt enim Chriſtus verus homo; quod requirebat, tum *Juſtitia Dei*: ut eadem natura humana quæ peccaverat, pro peccatis lueret, Ezech. 18. v. 20. Gen. 2. v. 17. tum *Veritas Dei*, quæ id prædixerat, Gen. 3. v. 15. Gen. 22. v. 18. tum *Conſolatio noſtra*, ut ſciremus eum fratrem noſtrum eſſe, Heb. 2. v. 11, 14, 17. tum *ipſum Officium*: ut poſſet eſſe miſericors, Heb. 2. v. 17, 18. Sed non tantùm eſt verus & merus homo (quod potiùs videtur Confeſſor Socinianus ſtatuere) ſed ſimul etiam verus Deus: tum quia potentiâ divinitatis

tatis suæ, carne suâ debebat sustinere onus iræ D
Esa. 63. *v.* 1, 2, 3. 1 *Sam.* 2. *v.* 6. Tum quia supp
cium ejus deb.bat esse infiniti valoris: tum q
debebat dare Spiritum Sanctum & beneficia m
te parta, conferre & conservare, *Joh.* 16. v.
15. *Rom.* 5. v. 0. Quæ à mero & puro hom
minimè poterant præstari. Est itaque Christus ve
homo, sed simul quoque verus Deus; cùm vel i
Sociniani ex uniu n m nis positione alterius neg
tionem sequi negent. Jam ad probationem Arg
menti, ubi singula excutere & expendere foret nim
prolixum: quamobrem du ad summum nobis e
cutienda sunt. Et primo quidem locus, *Luc.* 2.
40, 41, 52. ubi d citur Christus infans *profeciss*
piens â: scilicet in humanitate suâ, tum effusi
Spiritûs, *Joh.* 3 *v.* 34. tum experimentali & acq
sitâ scientiâ. Hic enim infans erat sermo Dei, Jo
1. v. 14. *Sermo factus est caro*, & erat æterna D
Sapientia, *Prov.* 8. v. 25 (prout ante ostensum e
Hic infans est fons gratiæ & veritatis, & nos ex i
sius plenitudine gratiam & veritatem percipim
Joh. 1. v. 14. *Esa.* 11. v. 2. est unigenitus Dei Fi
us, qui nobis veritatem revelat, *Joh.* 1. v. 18. *Ma*
11. v. 27. *Col.* 2. v. 3. Ergo quicunque in veteri
Novo Testamento Deum cognoverunt, per hu
infantem in Dei cognitionem pervenerunt: opo
tebat itaque Confessorem scire nomen *Infans* e
concretum, eique rectè attribui, quæ utriqne nat
Christi conveniunt, servato tamen discrimine nat
rarum & proprietatum. Secundò expendendus e
nobis locus, *Marc.* 13. v. 31, 32. in quo, dicit

Christ

Christus, *ignorasse diem judicij* : ubi primùm sciendum est ignorantiam esse duplicem : aliam *Negativam sive puræ negationis*, quæ est earum rerum quas scire ex officio non tenemur, aut non possumus per naturam quamvis integram : qualis ignorantia in Adamo integro fuit ; quàm multa enim ille ignoravit, quæ Deus omnia novit ? Certè ignoravit Adamus se seductum iri, & innumera alia : quam ignorantiam Scholastici *nescientiam* appellant. Hæc certè peccatum non est : aliam *Privativam sive pravæ dispositionis*, quæ est earum rerum, quas quis debet ex officio scire, & per naturam poterat. Hæc habet rationem pœnæ secundùm se, culpæ verò & peccati secundùm causam vel effectum ipsius. Jam, *ignorantiam negativam sive puræ negationis*, dicimus cadere in Christum viatorem, non autem *privativam sive pravæ dispositionis*, quæ plenitudini sapientiæ & gratiæ repugnat. Nescivit itaque Christus *diem judicij* quâ homo, scivit tamen quâ Deus, quod probatur cùm ex Apostolorum interrogationibus confusis (ut ex *Matt.* 24 cap. imprimis constat) tùm ex responsione Christi, se se ad confusa illorum postulata accomodantis, & petitionis capita *in τύπῳ* percurrentis. Filium ergo cùm dicit, tacita latet oppositio inter veritatem personæ & infirmam opinionem Apostolorum de persona ejus : quæ persona secundùm veritatem unum est cum Patre, qui scit diem illum : secundùm opinionem illorum, quâ tum erat imbuti, non unum, sed aliud à Patre ipse videbatur, nempe homo divinus ac non Deus : ut etiam postea Christus eos ampliùs docuit, *Joh.* 14.

&

& 15. cap. Patrem verò quum opponit, non dici ὑποστατικῶς de Persona Patris, sed ἰδιωτικῶς de Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, essentia illa una creatrice omnium, ut appellatur, *Deut.* 32. & *Matt.* 24. cap. Adeoque *Nemo scit*, non est Exclusio Filii, sed creaturarum, id est nullus creaturarum qualis tunc ab interrogantibus conspiciebatur & habebatur Christus: Nam sic etiam profitetur; *Nemo cognoscit quis sit Pater nisi Filius*, Mat. 11. 27 & Apostolus: *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei.* 1 Cor. 2. 11. Unde tamen non sequitur Patrem seipsum, vel Filium quæ sunt Dei, vel Spiritum Sanctum quæ sunt utriusque ignorare. Idem probant etiam evidentissima Patrum argumenta: *Athanasij Serm. 4. contra Arian. postmodum Basilij lib. 4. contra Eunom. circa finem, & Nazianzen. Orat. 4. de Theol. circa finem.* 1. Quia cognoscebat Patrem suum, *Matt.* 11. v. 27. *Joh.* 17. v. 25. quod longè majus est, atque omnia quæ in Deo sunt, & notitiam quoque illius diei. 2. Quia omnia Patris sua erant, *Joh.* 16. v. 15. *Matt.* 11. v. 27. ac proinde illius etiam diei cognitio. 3. Quia ipse est sapientia Dei, & in illo omnes thesauri divinæ scientiæ absconditi, *Prov.* 8. v. 25. *Col.* 2. v. 3. 4. Quia non potest opifex ignorare suum proprium opus; Filius autem auctor est seculorum omnium *Heb.* 1. v. 2. atque etiam illius extremi diei. 5. Quia ipse in illo die judex venturus est, *Act.* 17. v. 11. *Joh.* 5. v. 22. neque est credibile à judice ignorari diem sententiæ dicendæ præstitutum. 6. Quia signa proximè antecedentia illum diem, perspectis

ma habebat. *Marc.* 21. & *Matt.* 24. cap. 7 Adjicimus & hoc: Quia nov t omnia, *Joh.* 21. v. 17. Ergo & diem judicii. Hæc igitur & similia loca, quæ ad probationem assumptionis allegantur ab Adversario, nihil aliud probant, præterquam quòd Christus sit verus homo, quod facilè concedimus; nulla tamen inde consecutionis necessitas, Ergo non est verus Deus; quod & supra probatum dedimus. Locum autem his annexum, 1 *Cor.* 15. v. 24, 28. quod attinet: *Tradet Christus regnum Patri*, illud non deponendo, sed completum ac planè placatum, ab omnibusque hostibus liberatum Patri sistendo, inquiens, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti*, Esa. 8. v. 18. *Subjicietur autem ei*, non simpliciter omnimodo, non imminutione dignitatis naturæ suæ divinæ aut personæ: sed respectu corporis sui mystici, ceu caput Ecclesiæ, ita ut in omnibus suis membris Patri quoque plenissimè subsit, nullo amplius eorum in terris repente aut inter hostes degente: *ita Gregor. Nazianzenus Orat.* 4. *de Theol. Cyrillus lib.* 10. *Thesau. cap.* 8. *Chrysostomus & Gregorius Nissenus in tractibus peculiaribus de illa sententia*; Tradet igitur regnum sanguine suo acquisitum & redemptum, Deo Patri; non ita ut regnare deinceps desinat, sed ut una cum Patre sit omnia in omnibus Deus; Regni enim ejus non erit finis, *Luc.* 1. v. 33. quemadmodum etiam explicationes doctorum piæ sunt & veræ: Ita enim Oecumenius. *Tradet* inquit, *nequaquam se se illo dispolians aut regnare desistens: Regni enim ejus non erit finis.* Ambros. de fide l. 2. c. 4. ad Gratianum: *ita sibi tradunt, ut*

 neque

neque ille, qui accipit alienum acquirat, nec qui tra-dit amittat. Vide quoque Luther. Tom. 1. gen. fol. 372. Subjicieturque ei, non destructivè aut priva-tivè, sed perfectivè & cumulativè. Nulla ergo Filii cum Patre in naturâ aut personâ divinâ inæqua-litas, nulla dignitatis vel majestatis diminutio. Sed vera & coæterna ejus in unitate essentiæ cum Patre æqualitas seu consubstantialitas: unde etiam dicitur proprius ac unigenitus Dei Filius. *Joh.* 1. v. 18 & 3. v. 16. *Rom.* 8. v. 32. Nam unigenitus dici non potest ob adoptionem, alioquin non esset unigeni-tus, quia multi sunt adoptivi. Et quia prius non fuit, & postmodum adoptatus est in Filium, sic nos dicimur adoptivi Filii: quia cùm nati fuerimus filii iræ, per gratiam facti sumus filii Dei. Christus verò nunquam fuit non Filius Dei: & ideo non est adoptivus filius: *In quam rem vide Hieronymum super Epist. ad Ephes. cap.* 1. *Hilar. lib.* 3. *de Trin. August. super Ioan. Ambrosium quoque lib.* 1. *de fide scribentem. Christus filius est non per adoptionem, sed per naturam: per adoptionem nos filij dicimur, non per veritatem naturæ est.* Ex quibus evidenter osten-ditur, quòd Christus non sit Filius unigenitus gratiæ adoptionis, ut pertendit Adversarius. Hujus verita-tis tanta est vis, ut ipsimet Adversarii, & inter eos nominatim *Andreas Fricius Modrevius* profiteatur argumentum esse ἄλυτον, quod nostri ex his locis desumunt. Sic enim refert Christianus Becmanus Exercit. Theolog. XIV. Andreas Fricius (cujus li-brum ipsi Photiniani anno 1590. ex autoris auto-grapho ediderunt) ita scribit sylvæ primæ Tract. 1. cap. 6

cap. 6. Argumentatio *insolubilis*, quâ unitas essentiæ Patris & Filii concluditur. Patrum ratiocinatio non hominum commentis niti, sed è scripturis sanctis sumta videtur. Ea ferè est talis: Omnes qui λόγον agnoscunt esse filium Dei, seperant eum & ab hominibus piis & ab iis qui gerunt Magistratum. Nam etsi homines pii, & filii Dei dicuntur & sunt ex Deo nati: illi quoque ad quos sermo Dei factus est, dii appellantur; tamen & illi per adoptionem gratuitam, & isti Magistratûs causâ sic appellantur. At λόγος singulari ratione à Patre nascitur. Naturâ igitur, non adoptione, nec muneris causâ, quo fungitur, Filius appellatur. Sic igitur Patres collectionem formant: Cùm omnis filius nascatur de Patre: λόγος autem filius sit Dei: nascitur igitur de Deo. Atqui ita de nihilo non est. Creari enim potiùs diceretur, quàm nasci. Est enim creatio de nihilo: quod generationi non competit. Jam si nascitur ex substantia aliqua, vel illa Dei est, vel aliqua alia. Non secundum: hæc enim nulla demonstrari potest. Est igitur ex substantia Patris. Ita confectum est: λόγον naturâ à Patre genitum esse: uti naturales filii à Patribus suis nascuntur. Jam si filius ex substantia Patris est, vel ex ex tota, vel ex parte ejus. Non secundum: quia substantia Dei cùm sit simplicissima, nullo modo dividicùm perfectissima, nec augeri, nec minui potest. Ex tota igitur substantia Patris, natus est filius. Quod si ita est, aut Pater ita dedit substantiam filio, ut ipse eam amiserit, vel retineat eandem. Non primum: nam amissâ Dei substantiâ, seu essentiâ (nam hic utrúm-

que pro eodem usurpamus) Deus esse desineret. Retinet igitur Pater substantiam totam, quam dedit filio; eadem igitur substantia est Patris & Filii. Recte igitur λόγος dicitur Filius Dei & Deus, & consubstantialis Patri. Una igitur eorum substantia est, una potestas, una majestas. Non igitur multi dii sunt, sed unus Deus est substantiâ, licet tres personas habeat. Hæc est collectio, quam Ariani dissolvere non possunt. Hæc Fricius.

IV. *Hic Jesus præcognitus & dilectus est a Deo Patre suo, ante jacta mundi fundamenta:* 1 Pet. 1. v. 18--20. Joh. 17. v. 1, 24. *huic Pater gloriam dedit; eamque hic homo Jesus habuit apud Patrem, priusquam mundus esset.* Joh 17. v. 5. 24. *Id quod nemini absurdum videri debet; nam & nobis, cum nondum existentibus Deus gratiam suam in Christo Jesu dedit, ante tempora seculorum.* 2 Tim. 1. v. 9. *Hujus Jesu (è Bethlehem oriundi, qui gubernaturus erat populum Dei, adeoque fratres suos, in fortitudine & sublimitate nominis Dei sui) egressiones fuerunt ab antiquo, à diebus seculi: nempe ex antiquissima familia Davidis regis, qui & ipse Bethlehemo egressus sive ortus fuit.* Mich. 5. v. 1 3. *Confer, de diebus seculi Hezræ, cap.* 4. v. 15, 19. *Idem homo Jesus, veluti de*

ipse testatur, unum est cum Patre suo, in defensione ovium, quas Pater illi dedit: nam quemadmodùm nemo rapere potest à manu Patris; ita neque quisquam rapiet eas, è manu Filii Jesu Christi, Joh. 10. v. 28--30.

EXAMEN.

TAle primum videtur esse Adversarii Argumentum: *Qui præcognitus & dilectus est à Deo Patre suo, ante jacta mundi fundamenta; ille non fuit ante jacta mundi fundamenta. Atqui Christus præcognitus & dilectus est ante jacta mundi fundamenta*, 1 Pet. 1. v. 20. Joh. 17. v. 24. *Ergo Christus non fuit ante jacta mundi fundamenta.* Resp. Notandum est primò vocem *præcognitus* idem esse quòd *prædestinatus, præordinatus* monente Apostolo Paulo *Rom.* 8 v. 29. & 11. v. 2. Jam ad Argumentum: Christus consideratur ἀσύνθετως & *præcisè* quà λόγος, vel σύνθετως & *compositè* quà θεανθρωπος Posteriori modo Christus dicitur præordinatus ad officium Mediatorium, qui futurus erat propitiatio pro peccatis nostris, 1 *Joh.* 2. v. 2. & hac ratione non fuisse ante jacta mundi fundamenta concedimus; priori verò modo negamus. Quod videtur Augustinus notasse in lib. ad Prosperum & Hilarium dicens: *Prædestinatus est Jesus, ut qui futurus erat secundùm carnem similis David, esset in virtute Filius Dei.* Est itaque fallacia à dicto secundùm

quid, ad dictum simpliciter. Porrò quid aliud probat loco, *Joh.* 17. v. 24. Confessor Socinianus, quàm eum qui glorioſus erat fuiſſe glorificatum? Ante enim aut glorioſum fuiſſe, aut non fuiſſe oportuit. Fuiſſe conſtat, tum ex verbis ipſiuſmet Chriſti, *Joh.* 12. v. 23. & 13. v. 32. tum ex verbis Patris, *Joh.* 12. v. 28. quibus adde locum à Confeſſore allegatum, *Joh.* 17. v. 24. Quomodo itaque glorioſus ante fuerit, videamus. Sanè gloriam in Chriſto fuiſſe oportuit naturalem, aut quæſitam, aut utramque ſimul: Naturalem verò, aut increatam, aut creatam. Naturalem increatam negabit, ſcimus; cætera conceſſurus eſt. Increatam appellamus æternam divinamque: nam quod eſt, & increatum eſt, id æternum atque divinum eſt. *Quod fuit priuſquam mundus eſſet, id increatum, æternum atque divinum eſt: Fuit autem Chriſtus*, Prov. 8. v. 22. Coloſſ. 1. v. 15. Heb. 1. v. 2. *fuit & gloria, quam habet apud Patrem priusquam mundus eſſet.* Nam ante orbem conditum, nihil erat niſi Deitas, ſeu eſſentia divina: quæ eſt Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Quid igitur eſſe poteſt aliud hæc gloria, quam Chriſtus ſe habuiſſe dicit, antequam mundus fieret, niſi ejus Deitas? Æternus erat Chriſtus, æterna ipſius gloria. His igitur modis fuit glorioſus Chriſtus jam eo tempore: *Primò*, ſecundùm divinitatem gloriâ eſſentiali; quæ infinita eſt & cum rebus creatis incommunicabilis: *Secundò*, ſecundùm humanitatem, gloriâ eſſentiali communicatâ per gratiam unionis: *Tertiò*, ſecundùm perſonam, gloriâ acquiſitâ ex parte, quæ poſt reſurrectionem

nem perfecta est: Nam & gloria increata, quâ se se quodam modo inaniverat formâ servi assumptâ, plenè manifestata est, & gloria creata perfectè communicata est cum humanitate ipsius ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Hoc igitur est quod petebat Christus, gloriam suam perfectam (perfecta autem in omnem æternitatem divina est) manifestari, & imperfectam perfici. Ex quibus liquidò constat quàm inane sit effugium Confessoris Socinani contendentis eodem modo *Deum Patrem de esse Filio gloriam, eamque habuisse apud eum; quemodo nobis gratiam suam in Christo Jesu dedit, ante tempora seculorum*, 2 Tim. 1. v. 9. quæ toto cœlo dissimillima. Jam lurida aconita sua Confessor Socinianus cum purâ S. Scripturæ dictione & sincerâ ejus interpretatione commiscet: *Exortum enim Jesu Filii Dei inde à principio, à diebus seculi, Mich. 5. v. 1, 3.* exponit: *ex antiquissimâ familiâ Davidis regis*, quam interpretationem S. Scripturæ minùs convenientem, & non nisi hæreticam glossam esse, ex contextu ipso demonstraturi sumus. Nam oraculo isto Michææ duplicem Christi generationem, ὕστερον πρότερον seu inverso ordine describit; (exponente Galatino l. 4. cap. 13. de arcanis c. v.) humanam scilicet primo loco, cùm eum juxta promissionem Regi Davidi factam ex urbe Bethlehemica oriturum prædicit: divinam autem loco postremo, cum e iisdem ortum, inde ab antiquo & à diebus æternitatis esse asserit. Utercque Christi ortus voce à verbo Hebræo יצא deductâ indicatur, quod *prodire* vel *exire* atque *ortum suum habere* significat. Michæas, ut Christi

ortum, quo à Deo Patre ab æterno prodiit, illo quo in tempore partu Mariæ Virginis ex civitate Bethlehemica originem suam duxit, infinitè excellentiorem esse demonstrat, cum voce pluralis numeri, nempe *egressionum*, Prophetarum more experimur, qui de rebus arduis atque abstrusis disserentes, earum sublimitatem nobis incomprehensibilem numero plurali interdum designant; ut patet *Prov.* 1. v. 20. ubi summa Dei *sapientia*, pluraliter voce scientiarum nuncupatur, & Obadiæ v. 21. ubi Supremus noster *Servator* Jesus Christus plurium servatorum titulo insignitur. *Vide Annotationes Belgicas super hunc locum. Item Rib. in Michæam.* Notandum præterea est, quod Michæas Christi ortum filialem מקדם id est ab antiquo fuisse, eodem sensu affirmet, quo Deus Pater ipsius, Deus antiquitatis, *Deut.* 33. *v.* 27. & antiquus dierum, *Dan.* 7. *v.* 9. nominatur. Quo duplici epitheto omnes Theologi, atque ipsi quoque Sociniani, Dei Patris æternitatem ab omnibus aliis rebus ab ipso in mundi principio creatis, discerni fatentur. Nec alio sensu vocem illam Hebraicam מקדם à Michæa accipi hoc argumento probatur, quòd generatio quâ ex Deo Patre suo prodiit, temporalis esse nequeat. 1. Quia talem utique Deus Pater ipsum genuit, qualis ipsemet natura fuit, æternum scilicet, omnisque initii expertem: cui adde sequentia. 2. Quia Michæa apertè dicit: *Egressiones ejus sunt ab antiquo & à diebus seculi*; & si dudum ante Prophetæ tempora. Ubi contra Adversf. iterùm notandum est, quòd si cut vox *Mozaoth* מוצאות notat *egressiones* actu existentes,

stentes, ita quia dicuntur à Micha esse ab antiquo & à diebus seculi, necesse est, etiam ab antiquo extitisse. Id quod ipsa textus συνάφεια luculentissimè infert. Et ex concordantiarum Hebraicarum inspectione constat, semper illam rem, quæ מִקֶּדֶם *ab antiquo* esse dicitur, seu cui קֶדֶם *Antiquitas* tanicrib tur, etiam revera tempore illo antiquissimo extitisse, sine ullo interstitio temporis, quod ab illo Antiquo, usque ad rei ipsius existentiam interea effluxerit. Sic *Esa.* 19. *v.* 11. Ego sum Filius regum קֶדֶם *Antiquitatis seu qui ab antiquo fuerunt.* Nehem. 12. v. 46. *Diebus Davidis & Asaph* מִקֶּדֶם *ab antiquo fuerunt Principes cantorum*, & aliis plurimis in locis ut *Psal.* 74. v. 12. *Psal* 77. v 6. &c. 3. Quia sicut nativitas Messiæ ex Bethlehem temporalis à Propheta dicitur attingere ipsam ejus urbis durationem & statum, dum ait *A te, seu exte* mihi nascetur dominator in Israël, quoad locum: Ita etiam egressiones Messiæ de quibus statim subdit, & egressiones ejus sunt *ab antiquo à diebus seculi*, quoad durationem intelligendæ sunt, in ipsâ sua existentia actuali immediatè attingere ipsos dies antiquos, atque sic non ab illis divelli per longum temporis tractum interfluentem. 4. Quia res ipsa ostendit rem quæ dicitur esse ab antiquo, etiam ab antiquo extitisse, innui. Ac maximè insulsus esset sermo, cum dicere egredientem ab antiquo, qui non ab antiquo sed à tempore nuperrimo egreditur & existere cœpit. *Vide* expositionem hujus uberrimam *apud Euseb. l. 7. de demonstratione Evangelica, cap.* 2. *Apud Chrysostomum in demonstratione*,

ſtratione, quòd ſit Deus & in illud Pſal. 45. *Sta tua in ſeculum ſeculi: apud Cyrillum l.* 2. *de Tri nitate: Hieronymum in hunc locum. Theodoretu in Michæam, & Rupertum in eundum.* Obſerv etiam paraphraſin Chaldaicam ita legentem: *E te coram me prodibit Chriſtus ut ſit dominium exi cens in Iſraël, cujus nomen dictum eſt ab æternit à diebus ſeculi.* Locus igitur parallelus, *Hezre* v. 15, 19. ab Adverſario allegatus minus facit thema ſuum propoſitum confirmandum. Cæteru Joh. 10. v. 28, 30. *Chriſtus unum eſſe cum Pa ſuo, in defenſione ovium*, aſſeritur à Confeſſore Sc ciniano. At qui eandem habet cum Deo Patre po tentiam in conſervandis ovibus, eandem etiam cu eo habet eſſentiam; cùm præſertim potentiæ i eſſentiæ ratio in Deo, ſit eadem, potentiaque infi nita cadit nonniſi in ſubjectum naturâ infinitum tale autem eſt unus & ſolus verus Deus. Ergo, du dicit Chriſtus: *Ego & Pater unum ſumus*, cauſa primariam, ac rationem formalem infinitæ atq invictæ potentiæ ſuæ, quâ oves ſuas cum Deo Pat ab omni ſeductionis periculo tutas conſervat, ſe cum Deo Patre ſuo unitati eſſentiali, attribuit; ade que deducit fidem noſtram ad hoc fundamentum nimirum ut ipſe ſit unus cum Patre Deus. Ide convincit manifeſtè Patrum Orthodoxorum hâc re ſententia, ut eſt *Hilarii* lib. 7. de Trinit: cir medium & *Auguſti* tract. 48. in Johan: *Ma Patris manus Filii eſt*, hoc eſt, potentia Patri potentia eſt Filii: Quòd ſi eâdem potentiâ eſt Fi lius præditus quâ Pater, etiam erit præditus eâde natu

naturâ divinâ, ut quæ à divina potentia minimè distinguitur, ut jam dictum. De unitate igitur essentiæ illa Christi sententia intelligenda est.

V. *Hic homo Christus Jesus, de quo Johannes baptista testatus est, (inquire ipsius testimonium in Evangelistis,) quem auditoribus suis monstravit, quem Apostoli & complures alii homines viderunt, audiverunt, manibus contrectarunt, est Sermo Dei, per quem, ceu promissum Prophetam, Deus his ultimis temporibus nobis locutus est, per quem nobis ostendit viam, ducentem ab aterna morte ad beatam immortalitatem:* Joh. 1. v.6,7,15,&c. 1 Joh. 1. v. 1. Luc. 1. v.2. Apoc. 19. v.13. Act. 3. v.22 -- 24. Joh. 8. v.51. & 6. v.68. *& qui nobis propositus est in exemplum, ut sequamur vestigia ipsius,* Matt. 11. v.29. 1 Pet. 2. v.21.

EXAMEN.

IN hoc suo segmento Confessor Socinianus conatur incautis tacitè inculcare Christum nimirum ante nativitatem ex Virgine, nihil re ipsa fuisse, tum verò primum cœpisse aliquid esse, cùm conceptus est in utero Virginis, homo; adeoque esse nudum hominem & creaturam, dicique τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ sive *Sermonem Dei*, propter officium docendi & pate-

patefaciendi voluntatem Dei, sicque ducendi ad vitam æternam: quæ quidem causa non est sufficiens cur appellatus sit ὁ λόγος; sed sunt aliæ quam plurimæ causæ, quarum aliquot ex ipso contextu Johannis Hieronymus Zanchius in opere suo de tribus Elohim part. 1. lib. 6. doctissimè colligit, adeo ut ipsius verba hic annotasse sufficiat; quæ hoc ordine sequuntur: 1. λόγος *mentis æternus est mentis: nunquam enim mens, sine suo fœtu: Ita Filius coæternus Patri, quia nunquam Pater sine Filio.* Ideo ait ὁ λόγος erat in principio. 2. λόγος *item sui conceptus mentis, distinguitur à mente, ita Filius à Patre.* 3. λόγος *noster ita à mente distinguitur, ut tamen semper in mente, & apud mentem maneat: ita Filius Dei. Ideoque utramque hanc proprietatem complectens ait,* Et λόγος erat apud Deum. 4. *Noster* λόγος, *ita est in mente & apud mentem ut mentis etiam nomine significetur, veluti cùm dicimus hæc est mens mea, id est meum consilium, mea voluntas: sic Filius ita est Filius Dei, & cum Deo: ut sit ipse Deus. Ideo subdit:* Et Deus erat ille λόγος. 5. *Sapientia & verbo, jussuque suo efficaci, omnia sua agunt sapientes potentesque Principes: Ita Pater omnia egit, & agit per Filium, suam sapientiam efficacem. Ideo ait:* Omnia per ipsum facta sunt. 6. *Per sermonem nostrum prolatum, significatur mens, mentisque voluntas: sic per Filium Pater, & ejus voluntas patefit; Ideo ait,* Ipse enarravit nobis, &c. v. 18. Atque hæc ipsi videntur apertissimæ & certissimæ causæ, ex ipso Johannis contextu collectæ: quamobrem Filium Dei τὸν λόγον nominârit; nimirum

mirum quòd ſit Patris ſapientia æterna, à Patre diſtincta & ſimul etiam inſeparabilis: unà cum Patre Deus; per quam ſapientiam omnia fecit & ſervat Pater; & ſe, ſuamque patefecit voluntatem, ac ſemper patefacit. Ad hæc nec quicquam obeſt ejus æternitati, quod fuerit *viſibilis oculis, palpabiliſque manibus*, 1 Joh. 1. v. 1. quia utrumque de Chriſto verum eſt diverſa ratione. Propterea enim dicit Johannes primùm de natura utraque diſtinctè, tum verò de perſona ex naturis duabus conſtante. De divina dicit, *quod erat à principio*: de humana, *quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectavimus, & manus noſtræ contrectarunt*: Utrumque verò ad unitatem perſonæ ejuſdem pertinere oſtendit ſubdens, *de Sermone illo vitæ*: non enim totum Sermonis auditum eſt, vi ſum, &c. Sed tantùm de eo aliquid. Ergo ex falſa loci interpretatione Confeſſor Socinianus argumentatur falſò, poſitâ naturâ unâ alteram tolli exiſtimans. Quid enim obſtat quin ut Æthiops niger & albus eſt, ita homo ſit idem viſibilis & palpabilis ſecundùm hoc, & contra ſecundùm illud? Homo ſecundùm naturam corporis viſibilis & palpabilis eſt: ſecundùm naturam ſpiritus ſui, minimè: Idem ergo viſibilis & inviſibilis. Hoc ipſum eodem jure de Chriſto dicimus: nam quod erat à principio, id eſt inviſibile: quod aſſumpſit in tempore, id auditum, viſum, ſpectatum, & contrectatum eſt. Eadem igitur perſona ſecundùm illud inviſibilis, ſecundùm hoc viſibilis eſt. His tandem addit Confeſſor Socinianus, *per quem ceu promiſſum Prophetam Deus his ultimis*

tem-

temporibus nobis locutus est unde videtur tacitè concludere, *Non ergo Filius olim locutus est, ac ne sic quidem :* qui uterque conclusionis locus negatur. Prior locus, non esse olim locutum Filium, evidenter fallit ex Elenchi ignoratione, quia non secundùm idem & eodem modo Filius in Testamento vetere & novo, locutus est. Nam olim quidem locutus est ut sermo Dei, at non in carne assumpti personaliter : post autem locutus est ut sermo factus caro, & in carne (in qua Deus venerat) patefactus : quod ipse Apostolus interpretatur p incipio cap. 1. ad Hebr. olim locutus est, quâ Sermo Deus solum : ultimis verò temporibus locutus est, quâ Deus & homo, in unitate personæ ex assumente persona & assumpta natura constitutæ. At nos è diverso ita statuimus, *Deus Pater olim & temporibus ultimis locutus est ; ergo & Filius :* nam communis est operatio Patris & Filii, atque hic pariter facit quæcunque facit Pater, *Joh.* 5. v. 17, 19. Posterioris conclusionis, Filium ne fuisse quidem, falsitas revincitur majore apposita. Ea est hujusmodi; *Homo qui non loquitur, non est.* Alia dari potest justa argumentationum lege. At primùm quid magis falsum? quid absurdius adferri potest? nam si homo est, est igitur, quamvis nihil dicat : prædicatum est contrarium subjecto. Deinde mutus homo est, & non loquitur : nam mutus est. Tacens non loquitur, etsi homo est : sed tacet. Postremò hoc dicitur de homine qui tantùm homo, homo ψιλὸς vel de homine simplice. Nos autem hunc Sermonem Dei non simplicem nudumque hominem, sed Immanuelem

manuelem agnoſcimus, id eſt Deum & hominem: quid hîc ſimile? Proindè ita religioſè credimus & docemus: Sermo quà Sermo Dei eſt, à principio locutus eſt cum Patre: quâ homo factus eſt ultimis demum temporibus ſecundùm humanam illam naturam, quam aſſumpſit, locutus eſt. Cæterùm, *Chriſtus propoſitus eſt nobis in Exemplum*, (1 Pet. 2. v. 21.) ſcilicet patientiæ in afflictionibus; ita tamen ut eo ipſo non excludatur plenaria ejus, in morte & paſſione pro peccatis noſtris præſtita ſatisfactio. Fines namque paſſionis & mortis Chriſti diverſi quidem; at non oppoſiti ſunt, ſed ſubordinati: quemadmodum ab eodem Apoſtolo diſertè docetur, 1 *Pet.* 2. *v.* 21, 24. *&* 3. *v.* 18. Vide etiam ad *Rom.* 3. *v.* 24, 25. 1 *Tim.* 2. *v.* 5, 6. *Heb.* 10. *v.* 12. 1 *Joh.* 1. *v.* 7. & *cap.* 2. *v.* 2. Poſitio igitur unius non eſt negatio alterius.

VI. *Omnia à principio Evangelii prædicati per hunc Sermonem facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt neque unum, quod ab illo principio factum eſt. Johannes baptiſta miſſus fuit à Deo, ut teſtaretur de illo Sermone, qui erat lux vera. Sermo in mundo erat, cùmque eſſet in mundo, mundus per ipſum factus & ab æterno interitu vindicatus eſt: & mundus eum non cognovit, proprii eum non receperunt.* Joh. 1. v. 1-13. Matc. 1. v. 1. Luc. 1. v. 2. Joh. 15. v. 27. & 16. v. 4. 1 Joh.

1 Joh. 1. v. 1. & 2. v. 7, 13, 24. & 3. v. 1
2 Joh. v. 5, 6. *Confer* Act. 1. v. 21 22. Heb
2. v. 3. Joh. 2. v. 11. & 6. v. 64. &
v. 21.

EXAMEN.

EXtrà chorum ſaltat (quod ajunt) Confeſſ
Socinianus, cùm hanc interpretationem adhi
huic loco; & perdit luculentiſſimum graviſſima
que Evangeliſtæ in hac cauſa argumentationem
principium enim hoc Johannæum, *Joh.* 1. idem eſ
cum principio Moſaico, *Gen.* 1. Atqui illud de pri
ma creatione ſumi nemo dubitat. Ergo neque hoc
Principium autem hoc Johannæum de prima crea
tione, non verò de reſtauratione, id eſt, prin
cipio Evangelii eſſe accipiendum ſcopus Jo
hannis oſtendit. Nam propoſitum ei fuit docere
Sermonem illum ab æterno Deum fuiſſe. Hoc con
firmat his argumentis. 1. Quia erat in principi
ſcilicet mundi, hoc eſt, cùm mundus è nihilo crea
retur: nam ut de ſapientia dicit. *Jehova poſſedit me
principio viæ ſuæ ante opera ſua*, Prov. 8. v. 22
ita de Sermone dicit, *In principio erat ſermo.* Jam
autem, quod in principio erat, hoc erat ante omni
um rerum principium; ſed quod erat ante omnium
rerum principium, hoc eſt æternum. Quo teſtimo
nio *Athanaſius*, *Baſilius*, *Gregor. Nazianzenus*
Auguſtinus, *Ambroſius*, & alii omnes Patres de
monſtrant contra Arrianos æterniratem Fili

2. Qu

2. *Quia erat apud Deum*, quando firmabat cælos desuper, *Prov.* 8. *v.* 27, 28. Ergo in creatione adfuit; & per consequens ab æterno; nam qui erat apud Deum, priusquam ulla res crearetur, ille est ab æterno. Adfuit autem non quâ ccidens aut qualitas aliqua; sed quâ Sapientia creatrix & conservatrix omnium rerum, & per se subsistens ac verus Deus; esse namque apud alium, notat personalem distinctionem, qui enim apud alium est, distinctus est ab illo apud quem est. 3. Quia *omnia quæcunque facta sunt per ipsum facta sunt*, quæ verba de prima creatione intelligenda esse, Ignatius ad Tarsenses clarè docet: *Sunt autem* (inquit) *per hunc omnia facta, juxta illud, Cùm cœlum perficeret, ibi aderam ipsi, ibidemque cum ipso distinguebam omnia.* Verùm propter majorem veritatis evidentiam Verba singillatim expendenda. Et primò quidem universalem particulam *Omnia* ad opera novæ creationis ac præcipuè Electos non esse restringendam (quod tamen contendit Confessor Socinianus, cum Francisco Davidis Antithesi 19. 20.) ostendemus. Ac scimus quidem universalem particulam *Omnes* & *Omnia* aliquando restringi, ac in genere masculino pro multis interdum usurpari, ut *Matt.* 2. *v.* 3. *Act.* 4. *v.* 16. *Rom.* 11. *v.* 32. Item pro Electis *Joh.* 6. *Eph.* 4 *v.* 13. Item pro filiis hujus seculi. *Luc.* 6. *v.* 26. In neutro verò genere, *Omnia* pro rebus licitis quandoque usurpari scimus ut *Eph.* 5. *v.* 24. aliquando pro rebus mediis & indifferentibus ut 1 *Cor.* 10. *v.* 23. Item pro rebus tristibus & adversis, *Rom.* 8. *v.* 28. item pro

impedimentis & obstaculis, *Matt.* 13. *v.* 44. Verùm quandocunque id fit ut universalis particula ad hunc modum restringatur, aliquid tum præcedere solet, ad quod particula illa restringatur. At hic nihil tale præcedit: unde constat hanc expositionem restrictivam coactam esse. Et planè inauditum *Omnia* in neutro genere, pro Electis accipi. Deinde nomine *principii*, non intelligitur *principium Evangelii prædicati*: agitur enim de persona divina, ut ex antèdictis patet: res ergo æterna agitur, quæ non supponitur temporali principio (ut ita loquamur) sed magis præponitur. Verum namque est illud Logicorum dictum, *Talia esse subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis suis commodè intellectis: & vicissim talia esse prædicata, qualia esse à subjectis permittuntur:* quia alterum circumscriptionem quandam alterius in veris enunciatis complectitur. Hìc autem de subjecto divino, id est, æterno agitur, & quidem de rebus essentialibus ejus, quæ dicuntur de eo per se: Sic ergo prædicatum accipi, non angustiùs fieri necesse est. Huc spectat illud Augustini Epist. 49. quæst. 2. ὁ λόγος *inquam, ille fuisse in principio dicitur, fuisse apud Deum, fuisse Deus, & in principio apud Deum*; Quid? quod etiam inepta est hæc interpretatio? nam Confessori quid est illud, *in principio erat sermo*? nempe erat *tempore Evangelii, quo cœptum est à Christo Evangelium prædicari.* Et quis quæso, ita loquitur? homo ille erat, quo tempore cœpit Rempublicam administrare, concionari, peregrinari, &c. Id quidem per conversionem dici potest, cùm de

rei

rei existentia fortè dubitatur: concionabatur, erat igitur: nam ab *est* tertii adjecti (ut loquuntur) ad *est* secundi adjecti valet consequentia Sed ut vice versa loquatur quisquam, erat ille cùm cœpit concionari, ineptissimum est, puerile est, non solùm Apostolo, sed etiam viro indignum qui modò ratione uti possit. Restat ut unum aliquid addamus, quod ipse Confessor facilè animadverterit. Erat Christus, inquit, cùm cœpit prædicare. Agnoscimus: quid autem? non ante erat? Erat certè, quum cœpit Johannes prædicare: hic autem prædicavit ante Christum. Neque id solùm, sed erat etiam ex quo cœpit in mundo esse, id est, ex quo conceptus est, natus, &c. Quòd si erat in principio prædicationis sux, & fuit ante principium illud, quis jam non videt locutione hac, *erat in principio*, non excludi tempus quod isti principio præcesserit? Itaque non est cur ægrè ferat Confessor Socinianus, si vel ipso annuente ita concludimus; Qui erat in principio hoc, ante hoc principium erat. Sermo erat in principio: Ergo & ante principium fuit. Est autem principium hoc temporis, & eorum omnium quæ sunt in tempore: fuit ergo hic Sermo ante principium temporis, rerumque temporalium omnium, id est, ab æterno. Quòd si verò verbum *Erat*, hîc simpliciter exponat pro subsistebat, erit oratio superflua. Quis enim est qui nesciat prædicationis initio fuisse Christum? Illud verò quàm est ineptum? Quòd Johannem scilicet volunt subindicasse illam ipsorum interpretationem, cùm ad illa verba: *Et sine ipso factum est nihil*, addidit, *quod factum est*.

Quasi sit sensus facta esse omnia per Christum, sed non nisi eodem modo, quo fecit, nempe secundùm renovationem & recreationem novam. Quis non miretur tam mirificos Scripturæ interpretes? Primùm ut Johannes adderet, Christum fecisse omnia, non nisi eo modo, quo fecit, supervacaneum erat. Quis enim aliter facit aliquid, quàm eo modo, quò facit? Deinde ex vocabulo *faciendi* quod latissimè patet, colligere determinatè modum faciendi secundum renovationem; voluntarium commentum est, profectum ex anticipata hæresi istorum. Denique *Gregorius Nazianzenus*, & alii Græci Patres qui verba illa: *Quod factum est*; cùm præcedenti periodo conjungunt, longè aliam ob causam addidisse, illa Johannem censent, nempe ut intelligeretur, non omnia omnino per Filium facta esse (non enim etiam Spiritum Sanctum aut Patrem) sed omnes certè creaturas, quæcunque sunt factæ. *Augustinus* autem, & alii Patres latini, illa verba ad sequentia referunt, & ex illis initium periodi faciunt, hoc modo: *Quod factum est, in ipso vita erat. Vide Gregor. de Valent. lib* 1. *cap.* 15. *de Unitate & Trinitate.* Insuper addimus & hoc: Si *Facere* pro *Reficere* seu *Restaurare* ponatur, restauratus est & Christus, de quo Paulus *Heb.* 1. *v.* 4. dicit *Præstantiorem factum Angelis*, & *Heb.* 2. *v.* 2. Sed & de Patre dici poterit, quòd sit restauratus ac recreatus, si *Facere* pro *Recreare* ponatur: De eo enim dicit David alicubi: *Factus est mihi Dominus in salutem. Franciscus Davidis* cùm expositionem hanc nimis coactam esse videat, ad aliam confugit,

fugit, *Omnia per Chriſtum facta ſunt*, id eſt, *ſine ipſo nihil poſſumus facere*, *Antitheſi* 19. Videant jam ipſimet quam veri ſint Johannis interpretes, *facta ſunt*, id eſt, *poſſumus facere*. Egregia ſane expoſitio! Quod autem ad locorum qui adducuntur copiam, lex ſunt alterius, in quibus res diverſa agitur: nam *Joh.* 1. v. 1. de principio Moſaico agitur, quo cæpe unt res omnes creatæ eſſe, ut jam oſtenſum.; Locis verò reliquis de principio Evangelii prædicati ſive renovationis per Chriſtum: ſunt autem res diverſæ creatio mundi & inſtauratio: ineptum igitur eſt ea loca (ſcilic. poſterioris ordinis) quæ de re una agunt, ad rei alterius (ſcilic. prioris) explicationem rapere.

VII. *Hic Jeſus propter ſuam doctrinam, (quam tamen à Deo, qui ipſum miſit, acceperat, & quam Pater in cœlis ipſum docuerat,* Joh. 7. v 16. & 8. v. 26, 28 38, 40. & 3. v. 11, 13. & 6. v. 38.) *& quia ſe Filium Chriſtumque Dei Iſraëlis, & conſequenter Deum, eſſe ajebat,* Joh. 10. v. 24, 25, 33, --- 36. & 8. v. 54. *à Pontificibus & Scribis & Senioribus Judæorum, tanquam maleficus & ſeductor, & turbarum autor, & blaſphemus, in lignum actus & crudeli ſupplicio trucidatus eſt.* Matt. 26. v. 63 -66. Luc. 23. v. 2, 5. Joh. 18. v. 30. & 19. v. 7, 12.

EXAMEN.

DUo hîc præcipuè veniunt Christiano lectori obſervanda & notanda. *Primò* opinio illa Socinianorum quaſi plauſibilis: *Chriſtum ſcilicet ab initio ſui miniſterij aſcendiſſe in cœlum & inibi à Patre edoctum, ſic rurſum è cœlo deſcendiſſe*: quæ nullo niti fundamento his evincitur rationibus. 1. Quia nulla Sacræ Scripturæ pagina docet, Chriſtum diſcendi cauſâ in cœlum à Patre evocatum fuiſſe. 2. Quia *remotâ cauſâ removetur effectus*. Jam cauſa propter quam Chriſtus poſt baptiſmum putatur in cœlum aſcendiſſe, eſt cognitio paternæ voluntatis. Atqui hæc antea noverat. Nam *plenus Spiritu Sancto revertitur à Jordane & actus eſt ab eodem Spiritu in deſertum*, *Luc.* 4. *v.* 1. Etiam eo baptizato inſonuit vox paterna è cœlo: *Hic eſt Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquieſco*, *Matt.* 3. *v.* 17. Jam verò Pater cœleſtis in voluntatis ſuæ ignaro & adhuc erudiendo acquieſcere nondum poterat. Imò Chriſtus adhuc duodecennis in templo, inter ſeniores & magiſtros, reſpondendo & interrogando, officii & divinæ ſcientiæ admirabile edidit ſpecimen, *Luc.* 2. *v.* 46. & 47. 3. Quia præpoſterum omnino eſt: Chriſtum à Baptiſmo demum à Patre cœleſti in cœlum vocatum & ibi inſtructum fuiſſe. Quare? Quia jam tum modò baptizatus in Jordane, tanquam publicus doctor orbis, non tantùm voce Patris, ſed etiam præſentiâ Spiritus Sancti ſolemniter declaratus, omnibuſque commendatus erat,

Matt.

Matt. 3. *v.* 16. *&* 17. *Luc.* 3. *v.* 21, 22. 4. Quia huic opinioni contrarium planè docetur, Luc. 24. v. 26. *Nonne oportuit hæc Christum pati, & introire in gloriam suam?* Ergo non ante, sed post mortem Christus introiit in gloriam & ita in cœlum, quæ pars gloriæ non minima, Heb. 9. v. 12. *Christus semel ingressus est in sacrarium*, hoc est in cœlum: semel, non bis: uti Photiniani somniant. *Vide hæc fusius apud Christian. Besman. Exercitat. Theolog.* XIII. Erat igitur Filius Dei verè in cœlo, priusquam ascenderet, sed quâ Deus æterno Patri ἀϊδίως σύνθρονος, non juxta carnem assumptam, quæ nondum visibiliter & localiter ascenderat; quemadmodum videtur Arianis aliquando latenter ascendisse, & rediisse postea: aut sicut Moses & Elias in montem ascenderunt, collocuturi cum Deo. Ascensus enim ille, qui ipsis in alto somno fortassis videtur, omnino fictitius est, & non nisi mera Arianorum phantasia. Hoc duplici respectu dicitur etiam *Filius hominis* id est *Christus* eodem tempore esse in cœlo & esse in terris, *Joh.* 3. *v.* 13. Erat enim in cœlo quâ Deus, in terris verò quâ homo. Ita ut phrasis hæc: *Filius hominis erat in cœlo* Adversarios solari minimè possit, quicquid tandem commententur. Cæterùm, verum quidem est, quòd Christus, ad munus nostri apud Deum Mediatoris ordinatus, ad illud exequendum, ad nos mitti debuerit, ut formam hominis servilis assumeret, *Joh.* 7. *v.* 16. & 8. *v.* 28. quæ tamen missio, ex solâ dispensationis œconomicæ ordinatione facta est: cujus dispensationis divinæ nullam causam,

præter consilium ac placitum tribus personis divinis commune, atque à nobis potiùs adorandum, quàm controvertendum, proferre possumus: attamen si jure suo absolutè semper uti ac frui maluisset æquè ac Deus Pater, in formâ Dei cum ipso permanere potuisset, teste Apostolo *Phil.* 2 *v.* 6. Perperam itaque ex Christi ad nos missione eum naturâ ac majestate essentiali inferiorem Deo Patre suo esse, à Confessore nostro, aliisque Socinianis concluditur. *Secundò* notandum venit illud Adversarii: *Quod hic Jesus propter suam doctrinam, & quia se Filium Christumque Dei Israëlis & consequenter Deum esse ajebat*, Joh 10. v. 24, 25, 33--36. *à Pontificibus & Scribis & Senioribus Judæorum tanquam blasphemus crudeli supplicio crucidatus est*: quæ Salvatoris verba, sciendum, in alienum ab ipsis torqueri sensum. Non enim Christus eo loco affirmat, se talem cuempiam esse Deum, cujusmodi nomine tenus & officii causâ vocantur quandoque homines, præcipuè judices, & quibus in alios commissa divinitùs potestas: verùm ut ipsa evincit verborum συνέχεια seu *contextus* ex loco comparatorum (ut secundùm Logices præcepta loquamur) adversùs Judæorum objecta, concludit se nequaquam blaphemum esse. Si enim homines vocari possunt approbante scripturâ *Dii*; multò magis ego me (inquit) profitebor Deum, ut qui verè sum Patris æterni οὐσιώδης Filius, 1 *Joh.* 5. *v.* 20 ab ipso; (ejus naturæ respectu, quæ χάρισμα aliquod adipisci & recipere potuit) sanctificatus, atque orbi promissus & tandem missus Redemptor. Neque

verò

verò dicit: propterea se Deum, quia sanctificatus à Patre & in mundum missus: sed se testatur neuquam βλασφημεῖν, quòd ipse sanctificatus & missus, dicatur Filius Dei, seque ipsum ita vocari & agnosci velit. Quæ autem impudentia, verba hæc eò trahere, quo sensus non modò non genuinus, sed contrarius insuper est? Cùm non tam ἀπ' διότι cur Deus sit, quàm ἀπ' ὅτι quòd revera Deus sit ac dici debeat, testatum Christus graviter in collatione ista cupiverit: nequaquam omninò se missionis vel sanctificationis solius causâ Deum esse affirmârit. Quamvis ne hoc quidem modo impietati Antichristianæ patrocinari potest sententia, si ob sanctificationem & missionem statuatur & concludatur Messias verus esse Deus: Nam Patrem hic vocat suum: ut ille ergo æternus: ita Filium æternum & ab æterno genitum esse oportet: cùm in Deo nihil prius sit tempore, nec posterius; inquit enim, *Patrem sanctificavit & misit in mundum*, v 36. id est, interprete Polano: Ego is sum quem solum Pater constituit Christum illum ac Mediatorem & caput Ecclesiæ, qui non tantùm omnibus Spiritus Sancti donis perfectissimè ornatus sum, sed ipsa plenitudo Deitatis in me habitat, *Col.* 2. *v.* 9. sic ut omnes electos ad vitam æternam à me sanctificari oporteat. Ego sum is qui ab æterno apud Patrem eram, *Col.* 1. *v.*17. *Apoc* 1.*v.*8. & missus sum ab eo, ut assumptâ carne genus humanum à peccato & morte æternâ & tyrannide Diaboli redimerem. Quapropter verissimè & absque blasphemia profiteor, me proprium & omnipotentem Filium Dei, verumque naturâ Deum ac Patri æqualem esse.

VIII.

VIII. *Ipſe ergo Dei Filius (nullatenus v*
aliqua inſubſiſtens Filii humanitas p
ac verè mortuus eſt: Rom. 5. v. 10. G
2. v. 20. *& quidem definito conſilio*
præſcientiâ Dei: Act. 2. v. 23. *pro o*
bus, 2 Cor. 5. v. 14, 15. *etiam pro iu*
perduntur ac deſtruuntur, ſive pereunt, R
14. v 15, 20. *pro nobis,* Rom. 5. v. 8.
peccatis & pro injuſtis, 1 Pet. 3. v. 18.
peccatis noſtris. 1 Cor 15. v. 3. Gal. 1. v
propter delicta noſtra, Rom 4. v 25. &
remiſsionem peccatorum: Matt. 26. v.
per ejus ſanguinem habemus remiſsion
peccatorum: Col. 1. v. 14. *ſanguis*
emundat nos ab omni peccato: 1 Joh. 1. v
ipſe animam ſuam dedit in redemptionis
tium pro multis. Matt. 20. v. 28. *& pec*
noſtra ſurſum tulit, in corpore ſuo, ſuper
num: 1 Pet. 2 v. 24. *redemit nos à m*
dictione Legis, factus pro nobis maledict
Gal. 3. v. 13. *& in ſanguine ipſius juſti*
cati ſumus, Rom. 5. v. 9. *Quæ omnia*
dum unanimi conſenſu librorum no
deris confirmantur; ſed etiam à Propho
ſanctis prædicta, Jeſa. 53. *nec non o*
per victimas, & ſacrificia, & varias

gis Mosaicæ cæremonias, adumbrata sunt, Heb. 9.

EXAMEN.

MEra est calumnia quam nobis impingit Confessor Socinianus: nemo enim unquam Orthodoxorum docuit, vel docet; *insubsistentem Filii humanitatem passam ac mortuam esse*, verùm ipsum Filium Dei, Christum nempe θεάνθρωπον: cùm mediatoris munus non sit naturæ, sed personæ, illique obeundo Sufficientia & Efficacia divina absolutè requiratur; quod liquet non solùm ex locis, *Jerem.* 23. *v.* 6. *& Act.* 20. *v.* 28. sed etiam ex *Esa.* 35. *v.* 4. *Hos.* 1. *v.* 7. & ex *Heb.* 9. *v.* 14. ubi dicitur Christus *per spiritum æternum se ipsum obtulisse*: servatis tamen utriusque naturæ proprietatibus. Ita enim August. in Enchir. cap. 108. *Neque*, inquit, *per ipsum liberarentur mediatorem Christum, nisi ipse Deus.* Et Fulgent. lib. de Incarn. cap. 4. *Nullatenus*, inquit, *humana natura ad assequendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi unione Verbi Dei.* Mortuus ergo & passus est Christus *pro omnibus*, 2 Cor. 5. v. 15. non de universis & singulis hominibus intellectis; sed solis Electis & credentibus: quod patet ex contextu Apostoli affirmantis, *Unum Christum mortuum esse pro omnibus.* Quibus omnibus? Iis. 1. Quibus imputatur ejus mors, hoc est, qui ob imputatam Christi mortem ipsi censentur mortui fuisse. 2. Qui resipiscunt, hoc est, cùm ante indulgerent cupiditatibus carnis,

jam iisdem renunciant, atque ex Christi volunt
in honorem ejus vitam instituunt: Utrumque d
cent verba proximè annexa. Atque hæc de sc
Electis & credentibus dici possunt. Non ig
mortuus est Christus pro omnibus, id est etiam
qui pereunt: Apostolus enim Rom. 14. v. 15,
non dicit perire posse eum pro quo Christus mort
est quo ad efficaciam; sed prohibet duntaxat pr
bere perditionis causam & occasionem. Dicit ve
ne perdito; quia qui perditionis causam infirm
præbet, perinde reus coram Deo censetur, ac
fratrem infirmum perdidisset: quanquam si decr
tum Dei spectemus, nullus eorum perire pote
pro quibus Christus est mortuus quoad efficaciam
quod Apostolus apertè docet, cùm ait: *Quis*
qui condemnet? Christus est qui mortuus est, Rom
8. v. 34. Ut & verba Augustini tom. 10. serm 10
de tempore. p. 601. *Qui nos tanto pretio emit*
vult perire quos emit. Non emit quos perdat, s
emit quos vivificet. Adhæc: *mortuus est Christ*
pro nobis, Rom 5. v. 8. *Passus fuit semel pro pecc*
tis, justus pro injustis, ut nos adduceret Deo. 1 Pe
3. v. 18. *Dedit se ipsum pro peccatis nostris,* Gal. 1
v. 4. *Dedit animam suam in redemptionis pretiu*
pro multis, Matt. 20. v. 28. *Redemit nos ab exe*
ratione legis, dum pro nobis factus est execratio, Gal
3. v. 13. Sed quorsum hoc fecit? Ut pro nobis sa
tisfaceret, *Matt.* 20. *v.* 28. *&* 1 *Tim* 2. *v.* 6. U
nos ab æterna morte & maledictione liberaret, *He*
13. *v.* 14. Ut nobis Deum placaret. *Rom.* 3. *v.* 3
Ut nos Deo reconciliaret, *Rom.* 5. *v.* 10. Ut nos re
dimeret,

meret, 1 *Pet.* 1. *v.* 18. Ut nos à poteſtate Diaboli liberaret, *Heb.* 2. *v.* 14. Ut nos ſanaret, 1 *Pet.* 2. *v.* 24. Ut nos liberaret, *Heb.* 2. *v.* 15. Ut nos juſtificaret, 2 *Cor.* 5. *v.* 21. *Rom.* 5. *v.* 9. Ut peccata noſtra aboleret, *Heb.* 9. *v.* 26. Item: Prophetæ prædixerunt Chriſtum poſiturum eſſe animam ſuam ſacrificium pro peccatis noſtris; iidem docuerunt eum hoc ſacrificio expiaturum eſſe peccata noſtra, *Eſa.* 53. hoc ipſum multis ſacrificiis in veteri Teſtamento adumbratum, & populo penè viſibiliter repræſentatum eſt, *Heb.* 9. Quæ omnia clariſſimè docent Chriſtum plenè & propriè pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe; non verò Metonymicè tantùm, id eſt, (ut Sociniani volunt) quòd ille ſua paſſione in nobis produxerit vim & facultatem, quâ noſmet ipſos ad Deum convertere, atque ita divinæ voluntati pleniſſimè pro nobis ipſis ſatisfacere poſſimus. Hanc eorum eſſe ſententiam *ex Socino lib.* 3. *cap.* 2. *& Oſtorodio contra Tradelen. p.* 250. *item Smalcio de divinit. Chriſti cap.* 11. manifeſtum eſt.

IX. *Verùm in morte non manſit, ſed Patris ejus, Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, excitavit eum die tertiâ ex mortuis per gloriam ſuam, ſuſtulit eum in cœlum, collocavit ad dextram ſuam, dedit ei promiſſionem Spiritus Sancti, & exaltavit eum dexterâ ſuâ Principem & Salvatorem, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.*

Act.

Act. 3. v. 13 -- 15. & 5. v. 30, 31. & v. 32, 33. Rom. 6. v. 4. Gal 1. v. Marc. 16. v. 19. Luc 24. v. 51. Act. v. 9, 11. *Deus excitavit eum ex mortu & gloriam ei dedit, ut fides ac ſpes noſtra in Deum.* 1 Pet. 1. v 21. *Idem homo Chriſtus Jeſus eſt etiam unus ille mediator Dei unius & hominum,* 1 Tim. 2. v. 5.

EXAMEN.

EX ordinatione Jeſu ad officium Mediatoris Principis, Servatoris, vult concludere Confeſſor Socinianus, Jeſum eſſe hominem deificatum, hoc eſt, non eſſe naturâ Deum, ſed eſſe fictitium quendam Deum, quaſi dicat. *Quem Deus ſuum Chriſtum, Dominum, Principem, & Servatorem, ille non eſt naturâ Deus, ſed eſt homo deificatus. Jeſus eſt ille, quem Deus fecit Dominum, Principem, Salvatorem, &c. Ergo Jeſus non eſt naturâ Deus, ſed eſt homo deificatus:* Nam qui naturâ Deus eſt, is naturâ & ab æterno Dominus, Princeps, & Servator eſt; non autem poteſt ab alio demum creari Dominus, Princeps & Servator. Cujus major non tantùm falſa eſt, ſed ejus etiam oppoſitum verum eſt; ille enim, cui Deus injungit officium Mediatoris, Principis & Servatoris, & cui committit dominium in omnes creaturas, quemque vult honorari ſicut ſe ipſum, neceſſariò eſt naturâ Deus; nil enim naturâ Deus eſſet, huic officio præfici, & ad hoc

ne dominium honoremque exaltari non posset. Innumera scripturæ loca sententiam nostram probant, quæ sunt sequentia, *Joh.* 3. *v.* 31. *Psal.* 45. *v.* 7. *Heb.* 1. *v.* 8. *Psal.* 110. *v.* 1. *Heb.* 1. *v.* 13. *Joh.* 1. 1. *Col.* 1. *v.* 16. Unde quilibet videt Majorem esse falsam: Filius enim Dei non propterea in tempore deificatus, sive Deus factus est, quòd Pater ei mediatoris officium injunxit, eumque fecit Dominum omnium, Principem & Servatorem: sed quia una cum Patre, & Spiritu Sancto naturâ Deus, atque ita Dominus omnium erat; ordinatus est à Patre ad hoc officium, ut assumptâ carne, etiam secundùm eam, per assumptionis gratiam fieret omnium Dominus, & in carnis exaltatione atque gloria, dominium Deitatis suæ quod semper à naturâ habuit, declararet. In locis verò ab Adversario allegatis (*Erasmo* interprete) ne unum quidem verbum est, quod vel levissimè innuat, eum post resurrectionem factum esse Christum vel Dominum. Ac hæc, si Christus, ut censet idem Confessor Sociniane, non suâ, sed alterius nempe Dei Patris sui omnipotentis vi, ex mortuis resurrexit, neque ipse suâ potestate cum Deo Patre suo in æternum vivere, atque nos ex claustris mortis ad vitam æternam perducere poterit. Neque Christus in Epistola, 1 *Pet.* 1. *v.* 21. tantùm ut media salutis nostræ causa, considerator; ita ut fides nostra, honosque Christo nobis exhibendus non in ipso terminari, sed per ipsum ad Patrem ipsius tanquam ad ultimum cultus nostri religiosi scopum, dirigi debeat, statuente Volkelio ejusque asseclis: cùm Christus ideo Mediator

diator noſtræ ſalutis nobis à Deo Patre ſuo in tempore factus ſit, quia ipſius Filius ac cum ipſo naturâ Deus ab æterno fuit, atque in æternum permanebit, ut modò oſtenſum. Ex quo axiomate Chriſtum ordine naturæ Deo Patri ſuo co-eſſentialem ac coæqualem fuiſſe neceſſariò ſequitur, priuſquam Deus Pater eum Mediatorem noſtræ ſalutis ordinaverit. Ex eodem dogmate ſequitur Chriſtum diverſo reſpectu cauſam principalem & mediam eſſe noſtræ ſalutis: *Principalem* ratione Deitatis æternæ atque omnipotentiæ ſibi cum Deo Patre ſuo communis. *Mediam* ratione muneris Mediatorii ipſi à Deo Patre impoſiti, cujus reſpectu inſtrumentalis, vel mediatrix potiùs ſalutis noſtræ cauſa, appellari poteſt ac debet. Ac tantum abeſt, ut Chriſtus qui Deus ſimul & homo ſit, non potuerit eſſe noſter apud Deum Mediator; 1 *Tim.* 2. *v* 5. (pertendente Confeſſore ocinlano) ut contra potiùs, niſi Deus & homo eſſet, Mediator perfectus eſſe non potuerit, ut pulchrè aſſerit *Athanaſius l.* 1. *contra Apollinar. item Irenæus l.* 3. *c.* 19. & communiter alii quoque Patres, ut *Baſilius lib.* 4. *cont. Eunom. circa medium. Cyrillus lib.* 12. *Theſaur. cap.* 10. *& lib.* 1. *Dial. de Trinit. Chryſoſtomus Hom.* 7. *in* 1. *ad Timoth. Theodoretus in Dialog.* 2. *antè medium. Auguſt. lib.* 19. *de civitate Dei. Leo Serm.* 1. *de nativit.* Non enim pugnant iſta, aut ſunt contradictoria, Chriſtum eſſe Deum naturâ, & Mediatorem Oeconomia ac diſpoſitione gratiæ voluntaria: ſed potiùs optimè conveniunt, & ſine hac convenientia nunquam aptus

Mediator

Mediator dari, nunquam Mediatoris beneficio salus comparari in æternum nobis potuisset; (ut jam diximus) nisi inquam fuisset ille nobis datus, qui heri & hodie idem est, & in secula, Jesus Christus Dominus & Servator noster. Heb. 13. v. 8.

X. *Hunc Jesum expectamus è cœlo, tanquam à Deo definitum judicem vivorum ac mortuorum:* Act. 1. v. 11. & 10. v. 42 & 27. v 31. Joh. 5. v. 22. Rom. 2. v 16. *Qui unicuique reddet, secundùm opera ejus,* Apo. 2. v. 23.

EXAMEN.

HUcusque impugnare conatus est Confessor Socinianus, apertè veram æternamque Christi Divinitatem. Jam in Angelum lucis transformans se, ne purum nudum hominem credere videatur, creatam & finitam, hoc est fictam quandam ipsi tribuit θεότητα: ob judicium videlicet à Patre ipsi traditum, Joh. 5. v. 22. *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio:* quòd Christi enunciatum Deum Patrem & Christum (quatenus proprius ipsius Filius, & naturâ Deus est) omnium operum ac sermonum divinorum causas socias æquales, ideoque à nobis pariter adorandos esse evidenter ostendit, ac proindè verè naturâ Deum: quod longè clariùs liquet in illo Christi dicto versu præcedenti 21. *Sicut Pater,* inquit, *suscitat mor-*

tuos, ita & Filius quos vult vivificat, pari scilicet potestate. Qui enim omnes quos vult vivificat, is supremus est omnium vitæ, mortisque Dominus. Quod de nemine, quàm de solo vero Deo, atque omnium rerum creatore, quo major Dominus non dari, verè dici potest. Neque hoc Christi enunciatum oppositè atque exclusivè exponendum ut Socinistæ faciunt, ut eo ipso Deum Patrem ac Filium ejus omnium operum aut dogmatum divinorum nequaquam causas socias coæquales esse innuant, ac prodè, eos non pari, sed impari honoris gradu à nobis adorandos esse, inde concludant: cùm Judicium respectu vario commune sit Sanctæ Trinitatis, & Christi singulare. *Commune* respectu communis principij agentis, Patris, Filii & Spiritus Sancti. *Singulare* autem respectu Christi: Et quidem primò, respectu principalis termini secundum naturam divinam illius: Secundò, respectu naturæ humanæ, ut instrumenti adunati in unitatem personæ (ut dicamus) singularissimam. *Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilic. operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est*; ut commodè loquitur Leo Epist. 10. ad Flavianum: Vel ut alii: *Utraque natura suum confert; divina quod divinum, & humana, quod humanum est.* Utrumque igitur verum est, & sine ulla absurditate verum: *Omne judicium Trinitatis esse*, ut communis principii; & *omne judicium Filio datum esse*, ut singulari termino secundùm Oeconomiam, tum principaliter divinitate suâ, tum verò instrumentaliter humanitate. Non de-

derogatur autem de judicio Patris & Spiritus Sancti, quia ſic à Patre & Spiritu Sancto cum Filio inſtitutu eſt diſpenſatio, in una aedemque operatione. Sic & Pater ſimul judicat, judicat enim per Filium: & Filio omne judicium eſt datum, quia nihil Pater, niſi per Filium judicat.

XI. *Hic homo Jeſus Chriſtus, Dei & Mariæ Filius, eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.* (*Huc ſpectat illud* Pſal. 89. v. 28. *ubi Deus promiſit, ſe daturum, hoc eſt, conſtiturum, Davidem, qui erat Chriſti typus, primogenitum filium, excelſum præ regibus terræ.*) *Quia in ipſo condita ſunt univerſa, quæ in cœlis & in terra ſunt, viſibilia & inviſibilia: ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates; ante quas omnes ipſe eſt, & omnes illæ dignitates in ipſo conſtant: in terra itidem per ipſum condita eſt Eccleſia, cujus caput ipſe eſt*, Col. 1. v. 15 -- 18. *In ipſo, ſive per ipſum, Judæi & gentes, mediante prædicatione Evangelii, creantur in unum novum hominem; & ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Eph. 2. v. 10--22. *Nam ſi quis eſt in Chriſto, nova creatura eſt; vetera præterierunt,*

ecce, nova facta sunt omnia, 2 Cor. 5. v. 17. *Vide etiam* v. 18, 21.

EXAMEN.

QUandoquidem locus hic ab Adverſ. miſerè diſcerptus & lancinatus nobis obtrudatur; ideoque rigidiori paulò & accuratiori opus eſt examine. Loco citato Apoſtolus, quid de Chriſto ſentiendum ſit facilè demonſtrat ex duplici ejus dignitate & ſupereminentia. Primò; *quòd imago eſt Dei inviſibilis.* Ubi obſervanda venit vocis *imaginis* diſtinctio: nam imago aut perfecta, aut imperfecta eſt. Perfecta eſt, cui non deeſt aliquid quod inſit illi de quo expreſſa eſt, ſed ei reſpondet ſimilitudine plenâ & æqualitate ſimul. Atque hæc mens fuit *Hilarii* lib. de Synod. cùm diceret; *imago eſt ejus rei ad quam imaginatur, ſpecies indifferens:* Hæc enim imago eſſentialis eſt in identitate (ut loquuntur) naturæ poſita. Imperfecta imago eſt, quæ non perfectè reſpondet exemplari de quo expreſſa eſt, ſed aliqua ſimilitudine, ac non ſecundùm æqualitatem plena. Chriſtus verò dicitur perfecta imago & eſſentialis Patris, (interprete *Chryſoſt. Hom.* 3. *ad Coloſſ.* & *Baſilio lib.* 4. *adverſus Eunomium*) quòd videlicet ſit naturalis, germanus & ipſiſſimus Dei Filius, Patri per omnia, non voluntate tantùm & operatione, ſed & naturâ, eſſentiâ & divinitate ſimilis & æqualis: alias non eſſet perfecta illius imago; ſi in illa deficeret, germanus ac verè Filius Dei non eſſet. Oportet omnino relationem hanc inter

ipſum

ipsum & Patrem firmam esse, & constantem, ut Filius talis sit per omnia qualis ipsius est Pater. Non dicitur autem simpliciter *Imago Dei*, sed, *Imago Dei invisibilis*: Quia Pater videri seu cognosci non potest, nisi in Filio velut imagine, in qua se visendum cognoscendumque exprimere voluit, idque mox ab initio dum omnia per Verbum suum condidit, sicut mox sequitur. Secundò, *quòd est primogenitus omnis creaturæ*, & quidem vel respectu *Verbi* æterni quod genitum est à Patre ante omnem creaturam, de quo *Prov.* 8. v. 22. vel respectu *Dominii*: Primogenitus enim in regno Patri succedebat, & reliquorum fratrum erat dominus, *Rom.* 8. *v.* 29. ita ut nemo n si post illum sit filius aut hæres. Cæterùm *primo enitus* sic a *fratribus*, qui *filii Dei* dicuntur, distinguitur; ut hi sint *creaturæ*, ipse genitus & cu dem unigenitus: Id confirmat Apostolus eo: *Nam per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia per eum & respectu ejus sunt condita.* Si enim per illum creata sunt omnia, necesse est ante omnem fuerit creaturam, necesse est etiam & non fuerit creatus sed genitus. Nam si creatus fuisset & ipse, quomodo per illum condita essent omnia? Nec dici potest quòd semetipsum creâvit, cùm nulla creatura sui ipsius creatrix esse potest. Quomodo namque quod nondum est, crearet aliquid; nedum semetipsum? Porrò; neque Pater condidit omnia per Filium, tanquàm duntaxat causam instrumentalem, ut volunt Sociniani, (nec enim intelligi semper potest

cau'a inſtrumentalis, propter particulam *Per* ut patet ex 1 *Cor.* 1. *v.* 9. *Gal.* 1. *v.* 1.) verùm δημιουργικὴν; quia operationem & potentiam divinam notat præpoſitio *Per*; quâ operatione Filius voluntatem Patris ſui exequitur, & agit, non à ſe ut locuti ſunt veteres, ſed per ſe. Nec inficiamur frequentiùs de Filio particulam *Per* uſurpari: *Et Baſil. in lib. de Spiritu S. c.* 7, 25. & 26. *Hilar. item cap.* 4. *de Trinit.* per has voces, *Ex ipſo, per ipſum & in ipſo*, primâ Patrem deſignari volunt: alterâ Filium: poſtremâ Spiritum Sanctum; non quòd verè diſtinctæ ſint ac ſeparatæ, ſed ad perſonas duntaxat diſcernendas in unitate ſic accommodatæ: Nam ut rectè monet Magiſter ſententiarum; *Si diligenter inſpiciamus, idem eſt ex Deo, per ipſum, & in ipſo eſſe*; idque pluribus confirmatum ab Ambroſio 11. c. l. 2. de Spiritu Sancto ad Gratianum Auguſtum: *non ſunt*, inquit, *compugnantes ſyllabæ iſtæ, ſed tanquam ſociæ atque concordes, ut uni etiam conveniant.* Qua propter non tantùm legimus *per Filium facta omnia*, ſed & *in ipſo v.* 16. *Et ex ipſo accipere nos omnem plenitudinem*, Joh. 1. v. 16. *Vide expoſit. Auguſt. de Trinit. lib.* 1. *cap.* 6. *lib.* 6. *cap.* 19. At Filium ut cauſam æquè principalem ac Patrem, creaſſe, multis modis evidentiſſimè probatur à *Gregor. de Valentia lib.* 1. *cap.* 15. *De Unitate & Trinit.* cujus rationes firmas licet non omnes, quaſdam tamen lubet nobis adferre. (1.) Quia ipſe Filius inquit, Joh. 5. v. 19. *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* (2.) Quia creavit ut verus Deus Iſraël ſicut Pater: Deus autem Iſraël ut

cauſa

causa principalis creavit quemadmodum fatentur etiam Adversarii: Id patet ex Apostolo, *Heb.* 1. qui verba illa à Davide dicta Deo Israël Christo accommodat, *Psa.* 102. (3.) Quia causa efficiens principalis ea dicitur, quæ est prædita per se necessariâ & sufficienti virtute ad producendum effectum: Christus autem est ipsa Dei virtus, 1 *Cor.* 1. v. 24. (4.) Quia idcirco Patrem ut causam principalem operatum esse intelligimus, quoniam arbitratu suo operatus est ut voluit, id quod minimè convenit instrumento: Atqui Filium similiter imperio suo & voluntate operari, legimus *Joh.* 5. *v.* 21. *Luc.* 8. *v.* 25. (5.) Quia instrumentum non propria virtute sua, sed motu principalis agentis efficit principalem effectum. At de Filio Apostolus inquit: *Portans omnia verba virtutis suæ*, Heb. 1. v. 3. (6.) Quia instrumentum non est principium ac finis ultimus operis: Filius autem de se dicit: *Ego sum α & ω, principium & finis*, Apoc. 1 v. 8. Non tribuitur itaque creatio mundi Filio, tanquam causæ duntaxat instrumentali, sed principali æquè ac Patri. Ad hæc, docet Apostolus non solùm creata esse omnia per Filium, sed & per illum *omnia consistere & conservari.* Exerit enim vim suam per res conditas omnes quas ipse gubernat, vegetat, moderatur, agitat & conservat, id quod Dei munus est. Post autem primogenitum esse omnis creaturæ Christum demonstratur simili analogico quum dicitur *esse idem caput corporis Ecclesiæ*: & hujus analogia ostenditur à modo & fine ipsius. Modo; nam est *principium* auctor Ecclesiæ suæ,

& *primogenitus ex mortuis* eos principaliter à morte vindicans & vindicatos ſervans: Fine autem: *ut inter omnes teneat primas.* Utrumque aſſeritur de Chriſto, natura divina, & operatio in carne, naturæ illi divinæ reſpondens (ut loquuntur) proportionaliter. Nam proportionem eſſentiæ aut naturæ agentis ſequitur operatio: hujus operationes divinæ ſunt: Ergo & natura eſt; cùm operationum illarum poteſtatem habeat in ſe, & actus efficiat per ſe. Minimè ergò Chriſtus ad creaturas dijiciendus, & infra omnem Dei naturam collocandus: *quia primogenitus omnis creaturæ* Nam primogenitus appellatur, quaſi πρὸ πάσης κτίσεως γεννηθεὶς, interprete Baſil. lib. 4. adverſùs Eunomium, pag. 686. *ſive ante omnem creaturam primogenitè & unigenitè genitus: quomodo ex Maria Virgine natus perhibetur* πρωτοτοκὸς, Matt. 1. *Quia ſolus ex viro ſine, quia unicus*, *Theophyl.* in 2. cap. Matt. *Hieronymus* adverſus Helvidium. *Epiphan.* adverſus Ἀνθρωπομαρίανε, Sect. XVII. Quam ut ſequamur interpretationem, movet nos non tantùm veterum & doctiſſimorum interpretum authoritas, verùm etiam ipſe contextus verborum Pauli ſupra citatus; hic enim per illum quem vocat *primogenitum omnis creaturæ*, omnia ait eſſe condita, & in ipſum ſeu ejus reſpectu eſſe condita: deinde eum eſſe ante omnia, & omnia per eum conſiſtere: quibus verbis ea tribuit illi, quæ nulli rei creatæ competunt, eſſe ſcilic. creatorem, eſſe finem creaturarum: eſſe conſervatorem totius creaturæ: eſſe ante omnia; cùm ſi creatura eſſet, dicendum fuiſſet, creatum eſſe ante

cætera

cætera omnia. Q in etiam Apoſtolus cum hæc ſubjicit, rationem quaſi reddit cur Chriſtum nominârit primogenitum creaturæ, quòd ſcilicet genitus antè omnia, cuncta condiderit aſpectabilia & inaſpectabilia. Ideoque obſervandum eſt, diſſimile loquendi genus eſſe, cùm dicitur ab Apoſtolo πρωτότοκ& πάσης κτίσεως, *primogenitus omnis creaturæ*, ab eo, dum dicitur πρωτότοκ& ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus ex mortuis*: hoc enim refertur ad carnem, indicatque ordinem, ita ut ſimul etiam dignitatem & cauſam quoque ſignificet: Chriſtus namque primus ex mortuis ad vitam immortalem reſurrexit, cæteri qui vel ab Eliſæo vel ab ipſo Chriſto excitati fuerunt, denuò mortui ſunt; & quia Chriſtus omnibus cauſa eſt reſurrectionis à mortuis, quæ eſt quædam quaſi renaſcentia: Illud verò refertur ad λόγον, quod nullam expreſſam habet ordinis ſignificationem, ſcilic. quòd prima ſit omnium creaturarum; adeoque interpretandum eſt ut propoſitio alicujus ſubintelligatur; videlicet, vel *primogenitus inter omnes creaturas*, vel *primogenitus ante omnes creaturas*: quarum priorem interpretationem Adverſarii, alteram nos ſequimur, auctoritate veterum ipſiuſque Apoſtoli citati. Ex his omnibus palam eſt cuivis, quàm impertinens ſit locus, *Pſal.* 89. v. 28. à Confeſſore huc allatus. Et quanta in hoc Apoſtoli loco impudentia, vocem *Omnia* reſtringere ad novam creationem, quæ per Chriſtum facta ſit? cùm ex loco præfato *univerſa in Chriſto condita, quæ in cœlis & in terra ſunt viſibilia & inviſibilia, principatus & poteſtates omnes* rectiſſimè

rectissimè pronuncietur: Angeli quippe ut & aliæ creaturæ in terris, non possunt *nova creatura* in Christo vocari. Quamvis enim illi & hæ etiam Christo tanquam Domino & moderatori suo itidem obediant; hoc tamen nunquam sufficit ad id, ut sint propterea *nova creatura* in Christo: Siquidem hæc semper in Scriptura ita dicitur respectu *vetustatis peccabilis*, Conf. 2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15. Eph. 4. v. 23. Col. 3. v. 10. Tit. 3. v. 5. Heb. 6. v. 8. At verò illius Angeli, ut & aliæ in terris creaturæ planè expertes sunt. Ergò ἀνακτίσεως seu ἀνακαινίσεως hujus spiritualis, statui peccabili oppositæ capaces esse nequeunt. Attamen nihilominus à Christo creata dicuntur hoc loco. Ad hæc hoc pacto etiam *omnia bruta* quin & *Diaboli* nova creatura in Christo dici deberent, utpote quæ etiam Christo tanquam *Domino suo* obedienter subjacere coguntur, *Psal.* 8. *v.* 7. *Phil.* 2. *v.* 10. *Eph.* 1. *v.* 21. *Apoc.* 5. *v.* 13. Quod tamen ἄτοπον longè maximum. Adde quòd in S. Scriptura uni & soli Deo nostri ἀνάκτισις & κτίσις prima tribuatur, 2 *Cor.* 4. v. 6. *Gen.* 1. *v.* 1. *Psal.* 33. *v.* 6. *Ezech.* 36. *v.* 26. Quòd si ergo per Christum omnium fit ἀνάκτισις, profectò etiam per eundem erit ipsa rerum omnium κτίσις prima, atque sic ille verus est Deus, tanquam creator omnes creaturas longissimè transcendens. Aliàs enim si ille creatura mera esset, & non ipse Deus, & nihilominus omnes creaturæ per ipsum creatæ essent; tum sequeretur illum tanquam creaturam per semet ipsum & à se ipso creatum esse. Quod est absurdum longè maximum; ut

etiam

etiam ſupra dictum. Apoſtoli textus ad *Eph.* 2. *v.* 10--12. ut & 2 *Cor.* 5. v. 17. non de creatione ſpecierum nova, ſed reparatione generis humani & innovatione hominis loquitur, cui cor novum creatum, *Pſal.* 51. hoc eſt immutatum inque melius converſum, Ut ſit quaſi nova creatura in Chriſto, Gal. 1. v. 15. *nova ſic facta ſunt omnia*, non quoad *ideas*, ſed ποιότητα. Confuſio ergo textuum ingnis, eorum dicimus, qui de creatione τῦ παντὸς totius univerſi, Chriſto etiam vendicata; & de redemptione generis noſtri extremè poſt lapſum periti, agunt. *Vide Gregor. de Valentia lib.* 1 *cap.* 15. *de Unit. & Trinit. expoſitionem Patrum in hanc rem commodè proferentem.*

XII. *Per hunc Jeſum, Dei & Mariæ Filium, Deus his ultimis diebus nobis locutus eſt: hunc conſtituit hæredem univerſorum: per hunc porrò ſecula (non abſolutam æternitatem, quæ cùm principio careat, facta eſſe dici non poteſt; ſed futuram, ad quam Deus nos creaverat, quamque per peccatum amiſimus:) fecit Hic Jeſus, nempe Dei & Mariæ Filius, & nullus alius ante vel præter ipſum, eſt ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ Dei, portans omnia potente ſuo verbo vel juſſu: idem per ſe ipſum purgationem faciens peccatorum noſtrorum, ſedit in dextera throni majeſtatis in excelſis: tantò præ-*

ſtantior

ſtantior effectus angelis, quanto differentius præ illis hæreditavit nomen. Heb. 1. v. 1-4.

EXAMEN.

QUomodo Deus Pater per Jeſum Chriſtum Filium ſuum, his *ultimis diebus nobis locutus ſit*, de eo, ſupra in Examine ſegmenti v. diximus ſatis; ita ut ea hîc rurſus repetere non ſit opus. Dicitur verò *Hæres*, id eſt, caput & dominus omnium à Patre conſtitutus. Quatenus enim homo factus eſt, hæreditatem hanc à Patre accepit, idque propterea ut nobis recuperaret quod in Adamo perdideramus. Hominem enim quaſi filium Deus conſtituerat initio, omnium bonorum ſuorum hæredem; ſed per peccatum à Deo abalienatus primus homo, ſe & poſteritatem ſuam, tam Dei benedictione quàm bonis omnibus privaverat. Tunc ergo recipimus jure frui Dei bonis, cùm nos Chriſtus, qui univerſalis eſt hæres, in ſocietatem ſuam admittit. Ideo enim ille hæres eſt, ut nos opibus ſuis ditet. Sine ipſo omnium miſerrimi & inopes ſumus. *Per hunc porrò ſecula fecit.* Hîc per vocem *ſecula*, quæ Græcè effertur per αἰῶνας, non denotatur abſoluta æternitas, (ut benè monet Confeſſor Socinianus) ſed mundus ipſe in tempore factus ut hoc liquet ex loco ſimili ad *Heb.* 11. *v.* 3. ubi Apoſtolus eodem vocabulo Græco αἰῶνας utitur, quo tamen nonniſi mundus cum omnibus quæ in eo ſunt, ſigni-

significatur; quòd clariùs longè patet ex locis, *Joh.* 1. *v.* 3. & *Col.* 1. *v.* 16. Dicitur autem *splendor gloriæ paternæ*, eo quod gloria Patris sit nobis invisibilis, donec in Christo refulgeat; ubi simul voce splendoris edocemur de æterna Christi, in quantum est Filius Dei æternus, divinitate, ejusque essentiæ & gloriæ cum Patre suo, identitate: *Character seu expressa imago substantiæ Patris:* ubi iterum admonemur de æqualitate divinitatis, gloriæ & majestatis Filii cum Patre, verâque & solidâ Dei in Christo agnitione. Neque enim obscura est ejus imago duntaxat, sed expressa effigies, quæ ipsum refert. Nomen verò hypostasis, quod substantiam vertunt, non essentiam Patris denotat, sed personam: Nam illud absurdè diceretur, Dei essentiam in Christo impressam esse, quæ eadem etiam in Filio est. Sed verè apteque dicitur: Quicquid proprium habet Pater, in Christo expressum esse, ut qui hunc tenet, quicquid in Patre est simul teneat. Quocirca vera est Patrum expositio, Theodoreti maximè & Oecumenii. *Theodoretus* enim eleganter in Epitome divinorum dogmatum de Filio: τὸ ἀπαύγασμα ait *docet* τὸ συναΐδιον: Character autem ὑποστάσεως, *& æqualitatem summam ostendit, & personarum simul docet discrimen,* ὁ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τὴν τε ἀκριβῆ τῆς ὁμοιότητος δείκνυσι καὶ τῶν ὑποστάσεων διδάσκει διάφορον. Et *Oecumenius* expendere jubet quàm luculenter sit, quamque exactè locutus Apostolus dicens: *Cum esset splendor gloriæ: per id enim cum ait* splendor, *Filio ex Patre naturalem indicat progressum. Nullus enim per gratiam & adoptionem*

adeptionem splendor procedit. Per id quod ait, cùm esset, *quod non recentem habeat essentiam infinuatur, sed quòd ab æterno & semper sit splendor: addit gloriæ, ut dicas maximi illius honoris, & naturaliter assistentis, & quo nihil sit in Patre majus, illius inquam splendorem esse Filium: adait*, & Character: *ut qui totam in se substantiam exuerit atque subsistentiam. Deus est, potestatem habet, omnipotens est, creator & si quid est aliud, quod paternam substantiam exprimit: præterquam quod non sit Pater, omnia est Filius: Quare omnia quoque* in verbo illo potentiæ *complectitur, claudit & subministrat.* Hæc Oecumenius. Dicitur tandem: *Purgator criminum & reconciliator:* Nam morte sua Patri nos reconciliavit, & restituit bona quæ per peccatum amisimus. *Sedens in dextera majestatis*; id est, regnum ingressus, omnium quæ in cœlo & terra sunt potestate acceptâ, ut jam cœlitus regnet in Ecclesia sanctorum; *Præstantior autem factus est Angelis.* (1) Quia Filius est, ad quod testimonia scripturarum ex Davidis *Psal.* 2. *v.* 7. & aliunde quoque ex Prophetis adducit Apostolus v. 5. Hîc autem singulari quâdam prærogativâ nomen Filii in Christum transfert, non ut Angelis, Principibus, ac Electis tribui solet. (2) Quia Christus adoratur ab Angelis, id quod Davidis testimonio ex *Psal.* 97. v. 7. probat *v.* 6. (3) Quia Angeli sunt ministri Dei, Christus verò Rex est omnium, ex *Psal.* 104. & 45. tribuitur autem Christo Regi, *v* 7. (4) Quia Filius non tantùm homo, sed & verus Deus est; Creator cœli & terræ, ex *Psal.* 102. v. 26. Angeli

verò

verò creaturæ ſunt, *v.* 10. (5) Quòd ſedeat Filius à dextris Dei, ex *Pſal.* 110. Angeli autem miniſtri ſunt, *v.* 13. & 14. Cùm igitur Chriſtus Angelis omnibus atque adeò omnium præſtantiſſimæ creaturæ antecellat, nequaquam eſſe puram creaturam, ſed prorſus verum Deum eſſe concludimus. Hinc porrò quilibet videt, quàm elumbe ſit argumentum Socinianorum ex hoc loco deductum, (*Qui ſplendor eſt gloriæ alterius & figura ſubſtantiæ ejus, non eſt idem cum illo. Chriſtus eſt ſplendor gloriæ Dei, &c. Non igitur cum Deo Patre idem*) præſertim ſi quis vocem ſplendoris gloriæ, ut & imaginis conſiderari animadvertat: *Splendor enim gloriæ* aut perfectus aut imperfectus eſt: perfectus eſſentialis, ſimilis principio ſuo cum æqualitate: imperfectus contra. Chriſtus autem dicitur ſplendor gloriæ paternæ priori, non poſteriori reſpectu.

XIII. *In ſumma, Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater illæ gloriæ* (*qui etiam noſter Deus ac Pater eſt,* Joh. 20. v. 17.) *Filium ſuum, Jeſum crucifixum, ſuſcitavit ex mortuis; & collocavit ad dextram ſuam in cæleſtibus, longè ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro: & omnia ſubjecit ſub pedes ejus, & ipſum dedit*

Caput

Caput ſuper omnia Eccleſiæ; quæ eſt corpus ipſius, plenitudo omnia in omnibus adimplentis. Eph. 1. v. 17 -- 23. *Quia factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; idem & Deus illum ſuper exaltavit, & donavit illi nomen ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, & terreſtrium, & inferorum; & omnis lingua confiteatur, quod Jeſus Chriſtus ſit Dominus in gloriam Dei Patris.* Philip. 2. v. 5 -- 11. *Propter quæ etiam ab Angelis & hominibus adoratur ac invocatur.* Heb. 1. v. 6. Apoc. 5. v. 8 -- 13. & 7. v. 10. Act. 7. v. 59, 60. & 9. v. 14. & 22. v. 16.

EXAMEN.

CONfeſſor Socinianus faſcino ſuo excæcatus, non animadvertit diverſâ longè ratione, vocare Chriſtum, Deum Patrem ſuum, & noſtrum *Joh.* 20. *v.* 17. Nam Chriſtus *Patrem meum* dixit ſecundùm naturam in Deitate & unionem perſonalem in carne aſſumpta, & *Patrem veſtrum* ſecundùm gratiam in adoptione filiorum Dei: *Deum meum* dicit, reſpectu humanæ naturæ, quia carnem veſtram aſſumpſit, & *Deum veſtrum* naturâ ac veritate: Diverſam hanc rationem indicat etiam diſſimilitudo, quæ eſt inter

inter noſtram & Chriſti filiationem: nimirum quòd Chriſtus, & quâ λόγος, ſit proprius, eoque de propria Patris ſubſtantia Filius, & quâ homo, ſit etiam natus Dei Filius; tum quia conceptus de Spiritu Sancto, qui eſt virtus Altiſſimi. *Luc.* 1. v. 35. Tum quia unione perſonali, caro, hoc eſt, humana natura, unita eſt τῷ λόγῳ, naturali Dei Filio. Nos verò ſumus facti filii Dei, tantùm gratiâ adoptionis, & regenerationis. Non eadem igitur ratione dicitur Deus, Pater Chriſti, & aliorum fidelium. *Vide hac de re Lombard. lib.* 1. *diſtinct.* 26. *dactè diſſerentem. Item Hilarium lib.* 12. *de Trinit. ab eodem citatum.* Ad locum *Eph.* 1. v. 17--23. & *Act.* 5. v. 30. eadem eſt reſponſio, cùm autem de hoc in Examine ſegmenti IX. ex profeſſo egerimus, nihil de eo dicemus; niſi hoc unum monemus; quòd Deus Pater quidem ſuſcitaverit Filium ſuum Jeſum Chriſtum ex mortuis, ſed non ſolus; verùm etiam Filius ſe ipſum propriâ voluntate & virtute: juxta illud Chriſti, *Solvite templum hoc, & ego tribus diebus erigam illud*, Joh. 2. v. 19. *Et poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*, Joh. 10. v. 18. Suſcitavit ergo Pater Chriſti carnem, humanam ſcilicet naturam: ſed per alteram ipſiuſmet Filii naturam & eſſentiam; quæ una & eadem eſt cum virtute & eſſentia Patris. Ita virtus, quâ ſuſcitatus eſt, utrique attribuitur: Patri quidem, tanquam illi à quo omnia; Filio autem, tanquam illi per quem omnia. Quo ſpectat illud Apoſtoli: *Crucifixus fuit ex infirmitate, humanæ ſcilicet naturæ: vivit tamen ex vir-*

tute Dei; nempe non tam Patris, quàm suâ 2 *Cor.* 13. *v.* 4. Citat etiam locum ad *Philip.* 2. *v.* 5–11. Confessor Socinianus, ut ostendat Jesum esse deificatum, hoc est, in tempore Deum factum, ac proinde non fuisse Deum ab æterno: Sed locus iste hanc blasphemiam in Filium Dei clarè refutat, & clarè ostendit, quomodo Jesus sit Dominus, videlicet ab æterno naturâ Deitatis suæ: in tempore verò unionis gratiâ. Nam *primò* existebat ante humiliationem & assumptionem formæ servilis in forma Dei, id est, naturam & majestatem Dei habens, sive æqualis Deo. *Qui cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo.* Id est, non ideo abstinuit ab æquali majestate cum Patre palam ostendenda, quòd rapinam hoc duceret, tanquam hoc naturæ suæ non conveniret; *sed ipse se exinanivit*, id est, volens abstinuit à suæ Deitatis declaratione propter nos. *Et* secundò *formam servi*, id est, naturam humanam obnoxiam infirmitati & morti *assumpsit*: Existebat ergo ante, & erat Deus antequam homo fieret. Nemo enim est in forma Dei (hoc est præditus naturâ sive essentiâ Dei: ita enim omnes Patres interpretantur. *Nazianzenus Orat.* 5. *de Theol. Athanasius Serm.* 4. *cont. Arian. August. lib.* 2. *cont. Maxim. cap.* 5. *Cyrillus lib.* 3. *Thesaur. cap.* 1. *&* 2. *Ambros. lib.* 2. *de fide cap.* 4. *& Epist.* 43. *Hilarius lib.* 8. *de Trinit.* & alii interpretes) & æqualis Deo, nisi ipse Deus, *Psal.* 89. *v.* 9. Item aliud ergo erat quod assumebat, aliud quod assumebatur. Filius Dei manebat, quod erat, nempe Filius Dei; & factus est, quod non erat, nempe

nempe Filius hominis. Tertiò, *similis factus, & habitu compertus est ut homo.* Ergo prius non erat hominibus similis, & erat aliquid præter hominem, etiam postquam homo factus est, naturâ nempe Deus: non enim erat creatura, nam omnis creatura est serva, sicut nominatim *Basilius lib.4. contra Eunomium* ex hoc loco argumentatur. Quartò, *ipse se submisit.* Ergo priusquam humiliaretur in carne, sublimis erat secundùm Deitatem, *Joh.4. v.41. & 3. v.13.* Quintò, *ideo & Deus exaltavit eum:* ubi particula διὸ *ideo*, non causæ consequentis ut Confessor vult, sed consequentiæ tantùm nota est, quemadmodum, *Act.20. v.26. Heb. 3. v. 7. 2 Pet.1. v 10.* adeoque *Paulus* hîc non disserit, de causa meritoria exaltationis Christi: sed consequentiam saltem ostendit, ut nobis esset exemplo; nec omnino aliud voluit, quàm quod Luc. 24. v. 26. *Oportuisse Christum pati & ita introire in gloriam suam.* Illius igitur exinanitio non *meritorie* se habuit ad eius exaltationem, sed tantùm *antecedenter*, & fuit *via* per quam Christus ad gloriam pervenit, non verò *causa* Scriptura namque apertè docet Christum non sibi sed nobis datum ac natum esse, *Esa.9. v.6. Luc.2. v.11. Joh. 3. v.16.* non pro se sed pro nobis traditum esse, *Rom.8 v.32.* non sibi, sed nobis factum esse justitiam, *1 Cor. 1. v.30.* non propter se, sed propter nos pauperem factum esse, *2 Cor.8. v.9.* illum non pro se, sed pro nobis se dedisse, *Tit.2. v.14.* non pro se, sed pro nobis solvisse lytrum, *Matt. 20. v. 28. & 1 Tim.2. v.5.* non pro propriis peccatis, sed pro peccatis populi obtu-

liſſe victimam *Heb.*7. v. 27. In quam rem elegan-
ter Cyrillus *lib.* 3. *Theſau. cap.* 2. *Cavillantur* in-
quit Ariani *dicentes*, propterea, ideo, *cæteraque hu-
jusmodi verba cauſam ſemper ſignificare, propter
quam exaltatus eſt, & propter quam donatum eſt ipſi
nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Et paulò poſt
rationem reddit: *Scripturæ namque divinæ incarna-
tionem Filii hominis factam prædicant ad reſtitui-
nem totius humani generis: ſin verò (ut ipſi dicunt)
exaltatus poſt incarnationem eſt Filius Dei, & factus
ſublimis, quod antea non habebat, pro ſe magis incar-
natus eſſet, quàm pro hominibus. Ita non pro noſtra
ſalute magis, quàm ut ipſe exaltaretur, nomenque
maximum aſſequeretur, homo factus eſſet. Quomodo
igitur Prophetæ & Apoſtoli Salvatorem appellant
noſtrum, ſi ſibi magis quàm nobis profuerit?* Hacte-
nus Cyrillus. *Exaltavit* igitur *Deus illum*, ſcilicet
ſecundùm eam naturam, ſecundùm quam ſe humi-
liaverat: Quod Apoſtolus in Epiſt ad *Epheſ.*4.v.9.
apertiſſimis verbis atteſtatur, dicens: *Cæterum illud
aſcendit, quid eſt? niſi quod etiam deſcenderat prius
in infimas partes terræ. Qui deſcendit, ipſe eſt, qui
etiam aſcendit longè ſupra omnes cœlos ut impleret
omnia.* Ubi, docet illum, qui ſemper exiſtens Do-
minus æqualis Patri, aſſumptâ carne factus eſt ſer-
vus omnium, glorificatâ carne rurſus factum eſſe
Dominum omnium, atque ita dominio carnis ac-
cepto, quod prius non habebat, patefactum eſſe Do-
minium Deitatis ejus, quod ſemper habuit cum Pa-
tre. Sexto, *donavit ei nomen, quod eſt ſupra omne
nomen.* Hoc autem non eſt niſi nomen Dei, ſoli Deo
com-

competens. Hoc nomen ei donavit in assumptione & exaltatione carnis: Latuit enim hoc nomen & divina gloria Christi in humilitate, etsi per opera emicuit, donec per exaltationem planè effulsit. Septimò, *ut in nomine Jesu flectatur omne genu.* Ergo est verus Deus, & unus Deus cum Patre suo: Huic enim soli flectendum est omne genu, *Esa.* 45. *v.* 23. *Rom.* 14. *v.* 11. Et hanc ob causam etiam ab Angelis & hominibus adoratur ac invocatur. *Heb.* 1. *v.* 6. *Apoc.* 5 *v.* 8. In quam rem *Francisci Davidis*, (eorum quondam in Transylvania Coryphæi) verba hæc extant in defensione negotii de non invocando Jesu Christi in precibus pag. 21. *Si Christus adorandus est & invocandus, Christus erit ille solus solus verus Deus.* Deut. 6. *Non ergo dicere & affirmare possumus, Christum adorandum & invocandum esse, nisi prævaricatores esse velimus.* Aut si hæc adoratio & invocatio Christo tribuatur duntaxat tanquam judici ordinario & constituto mundi; *ut loquitur Enyedinus, pag.* 335. *corruptelarum suarum*; inde satis manifestè liquet, quòd non cultu soli vero Deo conveniente, sed δουλεία scilicet aliqua & externa specie colant Christum; atque eo ipso Arianis veteribus & *Francisco Davidis* adorationem & invocationem Christo recusantibus, quàm simillimi apparent; contra quos tamen recentiores ipsi sine hac invocatione & adoratione neminem salvari posse credunt: (ut videre est apud *Faustum Socinum in Epistola de Invocat. Christi in Miscellan.* p. 273. *imprimis verò apud Smalcium de divinit. Christi*, cap. 24.) aut verò pro idololatris

tris reputentur ; ut qui cultum ſoli vero Deo debitum, Chriſto creaturæ deferunt. *Gal.* 4. *v.* 8.

DE SPIRITU SANCTO.

Spiritus Sanctus eſt Virtus Dei Altiſsimi, Luc. 1. *v.* 35. *&* 24. *v.* 49. *Act.* 1. *v.* 8. *et* 2. *v.* 4. *et* 10. *v.* 38. *digitus Dei, Luc.* 11. *v.* 20. *Matt.* 12. *v.* 28. *promiſſum Dei Patris, Luc.* 24. *v.* 49. *Act.* 2. *v.* 33. *donum Dei Patris, quod Pater dat petentibus ab eo, Act.* 2. *v.* 38. *&* 8. *v.* 15, 16, 17, 20. *&* 10. *v.* 44, 45. *Luc.* 11. *v.* 13. *aqua, nempe aqua vivens, Eſa.* 45. *v.* 3. *Joh.* 4. *v.* 14. *&* 7. *v.* 38, 39. *Conſolator, Joh.* 14. *v.* 26. *&* 15. *v.* 26. *Oleum exultationis, Heb.* 1. *v.* 9.

EXAMEN.

POſtquam infenſiſſimus divinæ veritatis hoſtis, illuſtriſſima S. Scripturæ de æterna Filii Deitate teſtimonia impiè convulſiſſet ; progreditur ad infringendam Spiritus Sancti æternam majeſtatem, ad quam eludendam abutitur his dictis : Quòd ſit *virtus altiſſimi Dei*, Luc. 1. v. 35. Act. 1. v. 8. *Digitus Dei*, Luc. 11. v. 20. *promiſſum & donum Patris*, Luc. 24. v. 49. Act. 2. 38, &c. Ex quibus vult concludere,

cludere, non igitur est persona, & per consequens verus Deus. Ubi malitiosè verum falsumque consuit. Primò, etenim verum, quòd Spiritus Sanctus est virtus Dei, sive virtus ex alto, *Luc. 24. v. 49.* quia per Filium & Spiritum Sanctum Pater creavit & gubernat potenter omnia. Falsum autem, quòd idcirco non sit persona. Quemadmodum Paralogismus ineptus est: *Filius est imago Patris & factus nobis à Patre sanctificatio, redemptio,* &c. Ergo non est hypostasis. Ita ineptissimè & contra illustria veritatis sacræ testimonia infertur: Spiritus Sanctus *est virtus Dei altissimi: est donum & promissum Dei: est aqua vivens,* &c. Ergo non αὐτόθεος, non hypostasis, non persona. Quin potiùs quia est *virtus*, & ἐνεργητικὴ δύναμις, eaque ἐκπορευτὴ, procedens à Patre & Filio: *Digitus Dei*, eò quòd Dominus per Spiritum virtutem suam exerat: *Aqua*, quòd nos emundet: *Consolator*, quod fieri nisi à persona subsistente, nequit intelligi: ut etiam articulus Græcus in textu originali ipsi appositus (τὸ πνεῦμα) satis evincit. Inde abundè confirmatur eum esse personam distinctam à Deo Patre & Deo Filio, illisque co-æqualem, & per consequens verum & æternum Deum. Et quamvis ex scripturis certum sit, dona Spiritus Sancti aliud quiddam esse, quàm ipsum Spiritum Sanctum: nihilominus, quod Spiritus Sanctus non donum tantùm, sed & donorum distributricem personam in Scriptura significet, etiam apertissimum est (1) Quia Paulus 1 *Cor.* 12. discernit Spiritum Sanctum donorum distributorem à donis Spiritus, cùm dicit: *diversa esse dona,*

unum tamen esse Spiritum, quo dicto, donorum authorem & originem, Spiritum Sanctum facit. (2) Quia tribuitur Spiritui Sancto beneplacitum, *Act.* 15. *v.* 28. id quod & Patri tribuitur, *Matt* 11. *v.* 26. quod certæ personæ est, non motus aut doni. (3) Quia Spiritus Sanctus præcipit quæ facienda sunt, prohibet non facienda. *Act.* 16. (4) Quia tribuitur ei sermo seu locutio, *Matt.* 10. *v.* 20. *Act.* 13. *v.* 2. (5) Quia tribuitur ei habitatio, 1 *Cor.* 3. *v.* 16. quod personæ est. (6) Quia tribuitur ei voluntas & ejus efficacia, 1 *Cor.* 12. *v.* 11. (7) Quia duxit Christum sua virtute in desertum & Galilæam, *Luc.* 4 *v.* 1. Duxit & populum Israël ex Ægypto, *Esa.* 63 *v.* 12. (8) Quia templum ei datur, quod per omne est, nec alterius quàm Dei. 1 *Cor.* 6. *v.* 19. (9) Quia interna revelatio ipsi attribuitur, quâ mysteria sapientiæ divinæ nobis retteguntur, 1 *Cor.* 2. *v.* 10. quæ est actio personalis, seu ut Scholastici loquuntur, ortus suppositi intelligentis. Ergo est persona. Probatur idem testimonio quoq; Patrum, qui justis etiam voluminibus divinitatem Spiritus Sancti ejusque personalitatem sive hypostasim, ex professo defenderunt: ut; *Athan. in Epi. ad Serapionem. Hilar. l.* 12. *de Trinit. in fine. Cyrill. Alexand. lib.* 13 & 14. *Ambros. libris* 2. *de Spiritu Sancto. Basil. lib.* 2. & 5. *contra Eunom. & nominatim in lib. de Spiritu Sancto Gregor. Nyss. in lib. ad Eustach. quòd Spiritus Sanctus sit Deus. August. lib.* 4 *de Trinit. c.* 6. & aliis multorum his posteriorum. Item qui summum quoque impietatem censent non credere Spiritum Sanctum esse Deum, & iis qui non credunt

gra-

graviſſimis verbis maledicunt: ut inter alios *Athanaſ. in Epiſt.* longiori ad Serapionem: Qui, inquit, *Spiritum Sanctum ad creaturas detrahit, impius eſt, & ſine Deo, & infideli deterior, & quidvis potius quam Chriſtianus.* Et rurſus in lib. de beatitud. Filii Dei ad Theoph. *Maledictus*, inquit, *qui ſolum verum Deum Spiritum Sanctum non confitetur. Vide hu ſimilia apud Cyrillum*, lib. 13. theſau. cap. 1. Baſilium. lib. 3. in Eunom. Ambroſ. lib. 1. *de Spiritu Sancto*, cap. 2. *Auguſt Hilarium*; & *reliquos Patres.* Ad hæc doctiſſimè obſervavit Petrus Lombard. lib. 1. Diſtinct. XVIII Non eadem ratione dici Spiritum Sanctum donum & donatum ſive datum ſimul; verùm diverſiſſima longè ratione: *Datum enim ſive donatum* ex eo tantùm dicitur, quia datur vel donatur, quod habet tantùm ex tempore. *Donum* verò dicitur, non eò tantùm quia donetur, ſed ex proprietate quam habuit ab æterno; unde & ab æterno fuit donum: Sempiternum enim donum ſuis, non quia daretur, ſed quia proceſſit à Patre & Filio. Unde *Auguſt.* lib. 4. de Trinit. ait: *Sicut natum eſſe eſt filio à Patre eſſe: ita Spiritui Sancto donum Dei eſſe eſt à Patre, & à Filio procedere.* Hic apertè oſtenditur quòd Spiritus Sanctus eò donum eſt, quòd procedit à Patre & Filio: ſicut Filius eò eſt à Patre, quia natus eſt ab eo. Cùm ergo ab æterno proceſſerit ab utroque, & ab æterno donum fuit: non ergo Spiritus Sanctus eò tantùm dicitur donum, quia donatur: nam & ante fuit donum cuàm donaretur. Unde *Auguſt.* in lib. 5. de Trinit. cap. 15. in fine: *Semper Spiritus Sanctus procedit,*

procedit, & non ex tempore, ſed ab æternitate procedit. Sed quia ſic procedebat, ut eſſet donabile, jam donum erat antequam eſſet cui donaretur. Sempiternè ergo Spiritus Sanctus eſt donum, temporaliter autem donatum; & ſicut Spiritus Sanctus ab æterno procedit, ita ab æterno donum eſt, non quia donaretur à Patre Filio, vel à Filio Patri; ſed quia ab æterno proceſſit donabilis. Et per conſequens nihil obſtat quin ſit donum, & tamen verus, cum Deo Patre, & Deo Filio, ac coæternus Deus.

II. *Deus Filio ſuo Jeſu Chriſto Spiritum non dat ex menſura, ſed unxit eum Spiritu ultra conſortes ejus*, Joh. 3. v. 34. Act. 10. v. 38. Heb. 1. v. 9.

EXAMEN.

NE actum (quod ajunt) agamus, lectorem ad ſegmenti hujus refutationem examine præcedenti comprehenſam remittimus; atque hoc unum addimus, quod & ſupra monuimus: Spiritus vocabulum in Scriptura accipi, vel pro *hypoſtaſi* Spiritûs, ubi articulus Græcus apponitur; vel pro *Dono* Spiritûs, ubi non apponitur articulus Græcus: apponitur tamen particula quæ donum à dono diſcernat. Et hîc quidem agnoſcimus unctionem denotare Spiritus Sancti charismatum neceſſariorum collationem ſive effuſionem pleniſſimam, quo reſpectu dicitur Chriſtus unctus quà homo; nomenque *Olei*, *Heb.* 1. v. 9.

v.9. per Metaphoram Spiritus Sancti vires & dona ſignificare (ut juſtitiam, fortitudinem, alacritatem, agendi ardorem, conſtantiam, veritatem, gaudium, exultationem, *&c. Gal. 5. v. 22.*) ſic tamen ut perſonæ ejus veritatem præſupponant; cùm præſertim Deum Patrem non excluſivè ratione Spiri ûs Sancti, ſed incluſivè, cum iſto oleo unxiſſe ex plurimis Scripturæ dictis probari poſſit, atque imprimis ex dicto *Eſaiæ* cap. 61. quod Chriſtus, *Luc. 4. v.18, 21.* ad ſe applicat dicens: *Hodie impleta eſt hæc Scriptura audientibus vobis: Spiritus Domini ſuper me, propterea quòd unxit me.*

III. *Spiritus Sanctus unum eſt cum Patre, & Chriſto, in teſtimonio Evangelicæ veritatis,* 1 Joh. 5. *v.* 7. Joh. 16. *v.* 13-15.

EXAMEN.

COmmunis eſt hæc Socinianorum ſententia, quòd Filius & Spiritus Sanctus ſint unum cum Patre in teſtimonio Evangelicæ veritatis, non verò Eſſentiâ: quæ ipſorum opinio quàm debili nitatur fundamento ex locis allegatis manifeſtum eſt. Nam 1. *Joh. 5. v. 7.* diſertè dicitur, quod hi tres teſtes cœleſtes, non in unum conſentiant; quod de teſtibus terreſtribus affirmatur, *v. 8.* ſed prorſus ἓν εἰσι, *unum ſunt.* Ergo unitas eſſentiæ inſinuatur. Hanc noſtram interpretationem circumſtantia loci poſtulat: ait enim mox de teſtimonio horum trium. *Si teſtimonium hominum accipimus: teſtimonium Dei* (nempe

(nempe unius) *majus est v. 9.* Cùm igitur teſtimonium illorum trium teſtium, unius Dei teſtimonium vocet; conſentanea eſt noſtra interpretatio: *Unum ſunt*, hoc eſt; una eademque eſſentia: eôque unus Deus; nempe ſibi ſemper conſtans & verax. *Deinde*, ſi tres illi teſtes cœleſtes ſint unum tantùm conſenſu in teſtimonio Evangelicæ veritatis, non verò eſſentiâ: ſic nihilo plus competeret teſtibus in cœlo, quàm illis in terra; quod nec ipſe Confeſſor Socinianus admittet ſcio. *Caterùm*, fallitur etiam Elenchi ignoratione, quaſi pugnarent iſti duo Patrem Filium & Spiritum Sanctum eſſe unum eſſentiâ Deum, & eoſdem in unum conſentire teſtimonio ſuo: cùm unitas eſſentiæ ipſorum, ſit fundamentum unitatis voluntatis: unitas verò voluntatis ſit fundamentum conſenſûs in teſtimonii dictione. *Poſtremò*, quia plures ſunt veritatis Evangelicæ & miſſionis Filii teſtes, quàm hi tres, ſi etiam de creato teſtimonio Chriſti (ex hypotheſi ipſorum) ageretur, quum etiam Angeli è cœlo miſſi in terram, item *Moſes & Elias*, *Matt* 17. hujus rei teſtes fuerint. Verùm cùm de loco utroque huc adducto, plurimi plura & doctè ſcripſerint, hîc ſubſiſtimus. *Æternum illum unigeniti ſui & æterni Filii Patrem precati, ut conſtantes nos in vera fide & confeſſione conſervet; Adverſarios & Apoſtatas vel luce clariſſima veritatis iterum colluſtret & convertat: vel comeſcat denique potenti ore Spiritûs ſui Sancti.* Amen.

ORTHO-

ORTHODOXA
S. S. TRINITATIS DEFENSIO.

DE admirabili & incomprehensibili inconfusibilis Trinitatis, in individua unitate, mysterio, dicturi; ad detegendamque hujus Anonymi impudentiam, argumentorum ab ipso contra doctrinam hanc (quæ est de S. S. Trinitatis Mysterio) propositorum objectorumque compendiosam & analyticam brevi hoc scripto, veritatis amatoribus, responsionem, exhibituri: ante omnia, ipsum de quo nobis agendum est, rogamus, ut se se nobis ad salutem nostram gratiosè revelet, Spirituque Sanctus ita nos dirigat, ut curiositatem mortalium, mentibus nostris ex primæva corruptione insitam, refringamus, ne secretum hoc temerè scrutemur; verùm de iis tantùm, quæ ejus Majestate digna & convenientia sunt, summâ cum modestiâ & reverentiâ, loquamur.

Ut verò in hâc nostrâ disceptatione certo feramur cursu, tria hæc prænonenda esse, duximus.

Primo:

Primò: Adversarium cum suis argumentis & exceptionibus, ubique præmittemus.

Secundò: Ex iisdem locis ab Adversario detortis, sententiam nostram stabiliemus.

Tertiò: Stabilità nostrâ sententiâ, ad sophismata Anonymi excutienda progrediemur.

Sic orditur Adversarius.

Anony. *Cùm hisce nostris temporibus, à tot jam annis & ferè integro seculo ventilata sit quæstio de tribus in unâ Dei essentiâ personis, & quicquid de hoc argumento ex sac. Literarum, vel ex humanæ rationis penu depromi potuit, abundè in medium jam prolatum sit; indignum certè est, nondum Christianum orbem cernere, aut discernere, à quâ parte stet veritas. Res enim eò jam deducta est, ut nec pro hâc sententiâ, nec contra illam quicquam dici possit, quod non jam dictum fuerit hactenus: & mera jam hodie fiat veterum tantùm ac notorum argumentorum repetitiò disceptantibus. Etsi enim nova subinde prorumpant in lucem librorum volumina, nihil tamen novi, præter recoctam crambem, in eis invenias. Quid ergo? in infinitum me ferram hanc controversiæ reciprocabimus? & litis nullus alius erit finis præter litem,*

cujus

cujus nullus ſit exitus? Certè pudere debet prudentes & alioquin acutos homines, quod adeò ſe faſcinari præjudicatis opinionibus patiantur, ut quid verum ſit, non videant, neque intelligant: cùm tamen benè ac candidè perpendenti res ſatis ſit liquida & manifeſta. Quòd ut ita eſſe cuivis facillimè conſtet, rem breviſſimè (nequis prolixitate ſcripti à legendo abſterreatur & ſimpliciſſimè (ne quis difficultatem cauſetur) ſub unum hîc velut oculorum obtutum divino mixus auxilio ponam

Manifeſtum eſt, eis, qui Affirmativam hujus quæſtionis de Trinitate amplectuntur ſententiam, partes quoque probationis incumbere, ut oſtendant argumenta, quibus adducti ſtatuant plures in uno Deo perſonas. Affirmanti enim, Sapientium omnium conſenſu, incumbit probatio. Nihil ergò jam neceſſe eſt, ut argumenta Negantis partis examinemus, quæ illi pro negativâ ſuâ ſententiâ afferre ſolent: ſed ſola atque unicè argumenta affirmantium expendenda ſunt. Quæ ſi ſolida fuerint, fruſtrà fuerint ſexcenta plauſtra rationum contrariæ partis: manifeſtæ veritati nihil illæ derogaverint. Quòd ſi verò & levia & inania fuerint inventa

Affir-

Affirmantis partis argumenta, corruet illicò ſuâ ſponte tota hæc Trinitatis ſtructura; etiamſi nullas in contrarium protulerit Negans pars rationes. Quid? ſi accedant inſuper quoque novæ rationes Negantium, tum verò pleniſſimè actum fuerit de hoc dogmate.

ORTHODOXUS.

I. IN ipſo ſuæ diſquiſitionis frontiſpicio Adverſarius audaculus, uti in quoſvis arietare, ita primas ſibi jure merito arrogare audet: utpote, qui novis, inauditis, nec uſquam lectis, & quaſi inſolubilibus argumentis, controverſiam hanc à tam longo ævo in Eccleſiâ agitatam, ipſe ultimus decidere, glorioſoque hoc tandem triumpho potiri, videtur. Egregium ſanè ante victoriam encomium! Victoriam jactat, & adhuc litem agnoſcit. Quid hoc aliud eſt, quàm *Junonem Lucinam* clamare, fœtu nondum concepto? præſertim cùm ab eo quoque, nihil præterquam quod (ut ipſius verbis loquamur) crambe cavillationum & calumniarum, non tantùm bis aut ter, ſed millies jam ab ipſis recocta proponatur, nobiſque opponatur; quæ utique nauſeam jam tandem parere debet. Alia hîc fatemur verborum ſtructura, eadem argumenta. Variantur ſcenæ, variantur hiſtriones & perſonæ; ſed tamen eadem agitur fabula. Ut mirentur, eos cur non pudeat, tam ſuperbo & ſonoro verborum ſtrepitu, re toties tamve

turpiter

tùrpiter geſtâ, rurſum in arenam prodire? Haùd quidem diffitemur nos quoque hìc vel quicquam dicturos, quod non jam dictum ſit; cùm vel ipſa illorum argumentorum ad calumnias cavillationeſque Adverſarii ſatis ſuperque refellendas, methodica ſufficiat diſpoſitio. Neque verò veritati conſentaneum eſt, *nondum Chriſtianum orbem diſcernere potuiſſe, à quâ parte ſtet cardo ponduſque veritatis* ut inquit Adverſarius, reclamante omnium ſeculorum Patrum teſtimonio: quin tam nota, celebris, & antiqua, hæc in Eccleſiâ Chriſtianâ ſemper confeſſio Trinitatis fuit; ut ipſi adeò Ethnici eam hinc inſcriptis ſuis decantàrint, ut videre eſt, apud *Lucianum in Dial. Philopatri*, obſervante etiam *Celeber. Viro* Gisber. Voëtio *ſelect. Diſput. part. 1. in antidotis generalibus adverſus Socinianos*, C. D. Hotenbeckio *in Confut. Socin. lib. 2. Cap. 5. Sect. 1. Item Alſtedio in opuſculo ſuo Turris* David *nuncupato, Loc 6. Sect. 12.* Sed quòd ipſi huic apertiſſimæ veritati non adſtipulentur, non tam fit ob veritatis non ſatis luculentam probationem, aut inevidentiam; quàm ob nefandam nec non perfidam eorum in Deum proterviam; qui à ſpiritu vertiginis & contradictionis agitati, ad clariſſimum veritatis jubar, oculos mentis militioſè occludunt, & non niſi futilibus, ineptis, contortis & à ſacro textu alieniſſimis gloſſematis, luci tenebras offundere moliuntur. Et certè mirari ſubit, quâ fronte, quave conſcientiâ auſit Adverſarius nomen vel ſaltem *divinii auxilii* hìc ore uſurpare, nedum firmâ cum fiduciâ illud implorare.

11. Agnoſcimus quidem, quòd affirmanti incumbat probatio; ſed nec hoc negari poteſt quòd alia argumenta ſint Κατασκευάσιμα, alia ἀνασκευάσιμα, alia quibus noſtram ſententiam confirmamus, alia quibus Adverſarii opinionem infirmamus. Inſuper etiam ſententiam Adverſarii negans, ſit affirmans, cùm ſuam contrariam theſin proponit. Qua cùm ita ſint, Photinianos ſive Socinianos non deſtructores ſolùm alterius, ſed & ſuæ fidei (ſi quæ ſit) aſſertores & ædificatores eſſe conveniet. Verùm dum hîc non niſi verba effutiri, nihilque ſolidi afferri videmus; pluribus hiſce immorari ſupervacaneum eſſe putamus; ad argumenta ergo ſi quæ ſunt, tranſibimus. Sic igitur ille.

ANONYMUS.

Accedamus ergò ad argumenta, quibus recepta vulgò Trinitatis patroni ſuam ſtatuminant ſententiam; & ne ſingula eorum argumenta in aciem producere & ſub examen revocare opus ſit, diſcuſsis eorum præcipuis, in quibus totum fermè robur ſuum collocant; quid de reliquis ſentiendum ſit, palam faciemus, adeoque eos nulla aut nequaquam ſolida habere argumenta, generatim oſtendemus. Dogma itaque hoc Trinitatis ſi verum eſt aut ex ſanâ ratione, aut ex Sacra Scripturâ demonſtrari debet. Tertium non datur. Duo enim tantùm ſunt lumina, è quibus aliquid in religione ſcire poſſumus; alterum natura, alterum

alterum gratiæ: ſeu rationis alterum, alterum revelationis, quæ Scripturâ Sacrâ continentur. Niſi quis velit præter hæc duo principia ad Eccleſiæ ac Conciliorum aut Papæ Romani autoritatem confugere. Sed cùm hujus, ſi qua eſt, autoritas non poſsit aliundè, niſi à Sacrâ Scripturâ pendere, parem cum Scriptura locum inter principia obtinere nequit. Jam ſi patuerit, neque ex ſanæ rationis principiis, neque ex Scripturâ Sacrâ dogma hoc Trinitatis probari poſſe: ſatis arbitror, unicuique certum ac demonſtratum fore, dogma hoc nullo prorſus fundamento niti. Prius igitur, nempè quod ex ſanæ rationis principiis confirmari hoc dogma non poſsit partim ex plerorumque & ferè communi ipſorummet Trinitariorum Confeſſione, partim ex manifeſtâ ac evidenti conſtat ratione. Nam. Quod dogma non ſolum non capit humana ratio, ſed etiam rationi planè repugnat, id ex ratione probari non poteſt. Sed de hoc dogmate Trinitatis verum eſt prius. Ergo & poſterius. Quod ratio non capiat dogma Trinitatis, agnoſcunt ipſi; propterea mysterium hoc non ſciri, ſed credi debere ajunt: & negari non poteſt, cùm imperſcrutabilia ſit humanæ rationi, quæ finita eſt, in-

finita (ut illi volunt) Dei essentia. Quòd verò repugnet rationi hoc dogma, tot contradictionum, quos involvit, laquei indicant, quibus se extricare nulla potest ratio. Statuitur enim in hâc sententiâ contra omnem rationem, aliquid posse esse singularissimè unum ac indivisibile, & tamen pluribus commune, id est aliquid posse esse simul rem unam & plures. Unam eandemque essentiam esse simul genitam, & non genitam: aliquid ab æterno fuisse & tamen verè ac propriè genitum fuisse: imò aliquid existere actu, & tamen adhuc generari: & mille alia ejusmodi, quæ alibi fusiùs sunt demonstrata. Nonne hæc apertè sunt sanæ rationi contraria? Hæc nec illi ipsi negare possunt, ista esse adversâ fronte pugnantia; sed dicunt: hæc in creatis tantum rebus pugnare, non in Deo, qui sit increatus ac infinitus. Sed quæso vos; qui hoc affirmatis, an hæc vobis simpliciter asserentibus protinus credenda sunt? dicite, unde vos scitis, ista non pugnare in Deo, quæ per se pugnare videt & agnoscit ratio, vel utrùm Deus finitam aut infinitam habeat essentiam? An fortè vos Deum aut ejus essentiam vidistis unquam qui tam audacter, quid ei insit aut non insit, vel qualis

&

& quanta sit ejus essentia, pronunciatis? Dicetis: scimus id ex scripturâ, quæ nobis Deum satis clarè describit, quòd sit unus in essentia, trinus in personis.

ORTHODOXUS.

Antequam ad singulorum argumentorum solutionem ordine accedamus, duo hæc præmonenda & præmittenda sunt. *Primò.* Ista Socinianorum notanda phrasis, stylus, loquendi modus in disputatione proprius; quando de argumentis contenditur ex Scriptura, vel ratione petitis, ut tum vulgò rationis judicium præponant & præferant argumento ex S. Scripturâ adducto, saltem cum isthoc æquiparent; imò ita rationem ejusque judicium semper urgent, ut quæ cum illâ non videntur consentire dogmata, illatim ideo rejiciant. *Secundò:* Curiosi sunt in exceptionibus & detorquendo S. Scripturæ sensu, verùm in probatione suarum sententiarum testimoniis ex sacris petitis, sunt nimis tardi, vel omnino nulli: utrumque non modò ex praxi & disputatione Adversarii nostri, sed etiam ex Socino in suâ Catechesi *pag. 6* & 7. de fundamentalibus agente, ne unum tamen Scripturæ locum ad probandum adferente, verùm omnia rationi deferente, observare facilè est.

I. Jam ad Dilemma Adversarii, quod tale est: *Dogma Trinitatis si verum est, aut ex sanâ ratione, aut ex Sacrâ Scripturâ demonstrari debet. At neutromodo potest demonstrari. Ergo:* Resp. Fatemur quidem mysterium hoc S. S. Trinitatis nullo modo

humanâ ratione indagari aut confirmari posse; siquidem *Deum nemo vidit unquam; Filius unigenitus qui est in sinu Patris, ipse revelavit nobis*, Joh. 1. v. 18. nec non *Dei sapientiam loquimur in mysterio occultam, quam Deus Prædefinivit ante secula ad gloriam nostram, quam nullus principum hujus seculi cognovit; nam si cognovissent Dominum gloriæ utique non crucifixissent: sed ut scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt*, 1 Cor. 2. v. 7, 8. Interim tamen tantoperè nobis revelatum est, ut nihil ab humana ratione, ab ipsis veritatis oppugnatoribus contra afferri possit, quod non infinitis firmissimisque Sacræ Scripturæ locis à nobis refutari, & discuti possit.

II. Ad probat. prioris membri Dilem. quæ sic procedit: *Quod dogma non solùm non capit humana ratio, sed etiam rationi planè repugnat, id ex ratione probari non potest. Sed de hoc dogmate Trinitatis verum est prius; Ergò & posterius.* Resp. 1. Conclusio nobis non contradicit; nam nos neutiquam statuimus, hoc mysterium ratione posse probari. 2. Neg. min. Non enim quod rationis humanæ captum superat, illud mox rationi & naturæ repugnat; nam aliud est esse *infra rationem*, ut quæ sensus judicio subsunt: aliud *juxta rationem*, ut veritates quæ etiam ex ratione ostendi possunt, v.g. Deum esse, &c. aliud est esse *supra rationem*, qualia in Religione Christianâ sunt quàm plurima, v. g. Mysterium hoc Trinitatis, Incarnationis, &c. quæ naturæ limites transcendunt, ex solâque revelatione divinâ innotescunt: aliud denique *contra rationem*, quæ

quæ naturam perimunt, & ubi nulla veritas.

III. Ad probat. minor. prosyllog. *Aliquid non posse esse singularissimè unum, ac indivisibile, & tamen plvribus commune, id est, aliquid non posse esse simul rem unam & plures.* Resp. Videlicet uno eodemque respectu; fatemur unum & plura esse ἀσύλλα, at diverso respectu, propter varias relationes unum in multis posse existere & considerari patet. Tametsi enim essentia sive Deus sit Ens singularissimum, tamen essentia illa dicitur considerari Communiter sive absolutè; & Singulariter sive relatè ad certum ὑπάρξεως τρόπον. *Communiter*, ut est in se æqualiter communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto. *Singulariter*, ut est in persona qualibet secundùm certum subsistendi modum, ut in Patre est ἀγεννητῶς, in Filio γεννητῶς, in Spiritu Sancto ἐκπορευτῶς; sicque singularitas, non tollit communicabilitatem, sed multiplicabilitatem. Anima quippe rationalis est talis creatura, quæ est singularis & individua, & tamen non subsistit incommunicabiliter, communicatur enim homini ad subsistendum: Partes quoque omnes cujusque compositi, sunt naturæ singularis & individuæ; quæ tamen non sunt incommunicabiliter subsistentes; cùm toti quod componunt, communicentur, & totius subsistentiam constituant. Cæterùm addimus & hoc, quòd inter unum & multa non sit necessaria oppositio; Nam in homine multa sunt, sive partes essentiales consideremus, sive integrales, & tamen homo unus est. Multa sunt in Christo θεανθρώπῳ, in quo duæ distinctæ naturæ veniunt considerandæ, &

tamen unus est, neque divisus quoad personam. Deindè, neque nos unum Deum in plures dividimus, sed tres hypostases Divinitatis distinguimus; ideoque aliud est distinguere, aliud dividere. In essentiâ enim divinâ, quæ omnibus modis simplicissima est, & actu infinitissima; nec divisioni, nec compositioni locus esse potest; sed soli distinctioni, quam nec caro nec sanguis, sed Filius ipse nobis patefecit. Ad quæ eleganter *August.* de Ecclesiast. dogmat. c. 4. *Bernard.* lib. 5. de Consid. ad Eug. *Cùm dico unum, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, non partitur. Rursum, cùm dico tria, non me arguit intuitus Unitatis, qui illa quæcumque tria, seu illos tres, nec in confusionem cogit, nec in singularitatem redigit.* Quòd verò essentia divina sit singularis & tamen communicabilis, inde est quòd sit essentia non Suppositum, prout essentia Petri humana ipsi fuit communicabilis, absque quâ homo non foret; neque enim omnis communicabilitas infert universalitatem sive multiplicabilitatem, sed Generis tantùm in ordine ad Species & Individua. Hæc verò talis non est, verùm talis, qualis est Naturæ ad Suppositum, (ut modò dictum) quæ optimè potest consistere cum singularitate: Sed quòd pluribus personis communicabilis, inde habet quòd sit infinita: Petri enim utpote finitæ communicabilitas omnis uno illo existendi modo quem in ipso consecuta est, planè exhauritur. Unde videmus non procedere argumentum Adversarii: *Quod est singularissimè unum, sive individuum, id est, incommunicabile aliis, sive non*

potest

potest esse commune cum pluribus : intellectum scilicet de Suppositio seu Persona & quidem finita, incommunicabiliter & completè existente ; non verò de Essentia & quidem infinita, ulteriùs (ut liceat sic loqui) terminabili.

IV Perperam hinc colligi *unam eandemque essentiam, esse simul genitam, & non genitam* ; *aliquid ab æterno fuisse & tamen verè ac propriè genitum fuisse* ; *imò aliquid existere actu, & tamen adhuc generari* : siquidem, aliud est gigni, aliud verò communicari ; non enim idem gignitur, quod communicatur génito; sed illud gignitur, cui substantia sive natura gignentis communicatur ; at essentia divina semper existit, cum illis tribus modis existendi, ita ut essentia Filii, quæ illi in generatione communicatur, per se existat, sitque αὐτοθεότης (ipsa Deitas) cujus nullum datur principium. Ergò per generationem communicatur essentia divina genito, non ut existat, sed ut subsistat, ut adeò illa non terminetur ad existentiam absolutam, sed ad modum existendi, nec per eam constituatur Deus absolutè, sed Filius relatè. Deinde, confundit Adversarius proprietates personarum relativas : essentia enim in divinis non gignit, aut gignitur, sed Persona. Si enim Essentia divina gigneret, aut gigneret essentia divina in communi, aut ut quasi restricta ; si posteriùs, jam non essentia divina quâ talis gignet, sed persona ; cùm essentia quasi restricta ad esse Patris, sit ipsa Patris persona : Si priùs, jam omne quod est essentialiter gignet ; cùmque essentia in communi tam sit Filii, quàm Spiritus Sancti ; quòdque est essentiæ

in

in communi, ex æquò omnibus tribuitur personis, sequitur tam Filium & Spiritum Sanctum, quàm Patrem genuisse, quod quia absurdum est, & absurdum erit prius. Cum itaque nec essentia in communi gignat, & quasi restricta sit persona, sequitur essentiam ut sic non gignere, neque esse genitam simul & non genitam. Unde in Concilio Lateranensi sub Innocentio iii. c. *Dominus*, reprobantur istæ propositiones tanquam falsæ: *essentia generat: & essentia generatur.*

V. Dicitur hæc processio Filii *generatio*, non in quantum illa importat aliquam ejus quod generat aut generatur mutationem, non etiam in quantum admittitur naturæ momentum anterius, in quo dici possit jam generans est in potentia, in actu primo generandi, postmodum demùm actualis futura generatio, aut in quantum quod generatur transit à potentiâ ad actum, à non esse ad esse: verùm in quantum remotâ omni imperfectione in rebus creatis conceptibili, est nihil aliud quàm unius ejusdemque essentiæ vel vitæ quæ ἀϋλοζωὴ est æterna & indivisibilis communicatio, *Psal. 2. Joh. 5. v. 26.* Quæ ergo non confundenda est cum generationibus sive Physicis, sive Metaphysicis, nec ex iis metienda, nec ad illas exigenda; notionem namque generationis creaturarum, ad unigeniti generationem velle transferre, perversissimum est; ut graviter monet *Basilius lib. 2. cont. Eunom.* cùm imprimis Creator cum creaturâ commune nihil habeat præter nomen; Filiusque Dei ita dicatur genitus, ut dicitur antequam quicquam creatum esset, *Prov. 8.* (ut paulò ante dictum,) At in æternitate nullum est initium

initium vel ſucceſſio: Et de ratione generationis ſecundum communiſſimam vocabuli notionem non eſt, ut quod gignitur de novo incipiat eſſe; ſed ut accipiat eſſe ſuum à generante in ſimilitudinè ejuſdem naturæ: Quô fit, ut ſi generans ſit naturâ æternus, eum etiam qui propriè ab eo gignitur, æternum item naturâ eſſe oporteat. *In quam rem acutè Athanaſ. Serm. 3. cont. Arian circa medium. Auguſt. in altercatione cum Paſcentio Ariano. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 4.* Verùm ſufficit nobis concipere generationem iſtam eſſe perfectiſſimam, interminabilem, actum æternum, indiviſibilem, præſcindentem ab omni repetitione, fluxu & ſucceſſione: ita ut nec punctum ſaltem temporis cogitari poſſit, ubi non fuerit Filius. Si enim non fuiſſet Filius, nec fuiſſet Pater, ſed factus demum genito filio: quod omni blaſphemia eſt gravius, ut eruditè convincit Adverſarios Damaſc. lib. 1. cap. 8. de Orth. fide. Et Ambroſ. lib. 1. ad Gratian. cap. 5. *Dic* (inquit) *hæretice, fuit ne quando omnipotens Deus non erat Pater & Deus erat? Nam ſi Pater eſſe cœpit: Deus ergo primò erat, & poſtea Pater factus eſt. Quomodo ergo immutabilis Deus eſt: Si enim ante Deus, poſtea Pater fuit, utique generationis acceſſione mutatus eſt. Sed avertat Deus hanc amentiam.* Hactenus Ambroſius. Audiant verò eundem Ambroſium, qui objiciunt nobis: ſi filius fuit ab æterno, quare ergo Deus ipſum genuit? *Quæro*, inquit ille, *abs te, quando vel quomodo putas Filium generatum: mihi enim impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum: Mens deficit, vox ſilet, non mea tantum ſed & Angelorum.*

Eam

Eant ergo Adversarii, expediant nobis rationem, quâ ipsi sint compositi & formati primò, nec admodum vacabit in Dei generatione Philosophari : sicut jam olim allocutus est eos Theologus lib. 3. de Theologia. Nonnulli tamen ex nostris Theologis ad hanc objectionem sic respondent. Pater genuit filium suum ab æterno existentem, non existentia genituram antecedente, sed eam semper comitante, ut Sol semper gignit lucem suum existentem, non ante genituram, sed cum genitura, & per genituram quæ à sole est. Neque magis absurdè dici cum Martyre esse generationem adhuc, quàm procedere Spiritum Sanctum à Patre & Filio, quòd clarissimè docet Scriptura, *Joh.* 5. v. 26. nec hoc ipso imperfectam esse generationem, quod nequidem in Philosophia obtinet; nam sunt aliqui actus qui continuantur, & tamen sunt perfecti, ut *Visio radiorum ex Sole sparso*: Si hoc non valet in Philosophia, multò magis in Theologia. Opera enim Deitatis ad intra, cujusmodo sunt, *generare, gigni, emanare*, sunt & æterna & semper manentia & summè perfecta: uti ipsa Deitas sui semper similis est, unica & perfectissima. In hunc rem, citantur etiam apud *Lombardum distinct. 9. lib. 1. Gregorii ex lib. 29. Moral. Chrysostomi tom. 4 hom. 2. Epist. ad Heb. Origenis, hom. 6. in Hier. c. 6.* & aliorum sententiæ, quibus ut semper nasci dicant Filium, non imperfectum tamen esse confirmant. Nam Origenes; *Salvator*, inquit, *est splendor gloriæ: splendor autem non semel nascitur, & deinceps desinit nasci, quotiescunque ortum fuerit lumen ex quo splendor oritur, toties oritur & splendor*

ſplendor ipſe gloriæ. Legatur præterea *Auguſt. in Epiſt. 174. ad Paſcentium, Cyrillus lib. 1. Theſaur. cap. 6. & Damaſc. lib. 1. cap. 8. & Athanaſius in expoſitione fidei.* Quamquam tutiùs ſanè exiſtimamus dicere cum Auguſtino in Pſal. 2. & Gregorio, lib. 29. moral. c. 1. *Filium ſemper eſſe natum*: ut particula *ſemper* indicet æternitatem generationis; & particula *Natus*, perfectionem geniti, ut rectè notat *Thomas c. 1. par. q. 42. art. 2.* Quomodo verò de Filio verè dici poteſt, quòd genitus eſt, & nunc etiam generatur, & perpetuò quoque generabitur; ſi æterna ejus generatio tota ſimul & eadem & perfecta eſt? nam & hoc etiam attingit hoc loco Adverſarius. Reſpondemus cum Gregor. de Valentia (lib. 5. cap. 5. de Trin. contra Scriptum quoddam impium) ejuſmodi locutionibus noſtris, nequaquam plures Filii generationes, aut plures quaſi partes generationis ejuſdem ſignificari, quarum alia ſit præſens, alia præterita, alia futura; quaſi differentiæ iſtæ præteriti, præſentis & futuri; ſint in ipſa Filii generatione: Sed ſignificamus hoc modo loquendi, durationem æternam generationis hujus eſſe ejuſmodi, ut quoniam infinita eſt, eadem coëxiſtat cuivis tempori præterito, præſenti, & futuro; ideoque & præterito tempore veriſſimum fuiſſe, & præſenti veriſſimum eſſe, & futuro veriſſimum fore, de Verbo divino affirmare, quòd à Patre generetur. Hæc enim vis eſt illarum locutionum. Quod exemplo ſimilium enunciationum de Deo, quæ tamen ſunt veriſſimæ, confirmari evidenter poteſt. Nam cum dicimus, *Deus eſt*; *Deus fuit*; *Deus erit*; non

aliquas

aliquas differentias, & quasi divisiones præsenti, præteriti, & futuri in Dei existentia significamus; sed intelligi volumus durationem æternæ illius existentiæ, cùm sit infinita, esse ejusmodi; ut eadem coëxistat omni tempore, præsenti, præterito, & futuro, in quo à nobis Deum esse verissimè affirmari possit. Hoc igitur modo, & hoc sensu Verbum quoque divinum verè dicitur & genitum esse, & generari, & generandum, quamvis ipsius æterna generatio sit tota simul, non minus quàm ipsa divina existentia.

VI. Cùm axioma hoc suâ quoque nitatur veritate: *Si alterum extremorum ignoratur, nulla contradictio infallibili certitudine potest extrui*; unde est quòd ibi contradictionem fingat Adversarius ubi terminos nondum habet cognitos, aut etiam contradictionem circa illos terminos à nobis implicari putat? cùm modum illum, quo in Deo dicuntur esse tria, ignoret, neque perspectum habeat; debebat enim prius nosse quomodo in Deo esset *Unum* & *Trinum*, sicque potuisset judicare, an ille modus, modo naturali contrarietur vel non? verùm (ut supra monuimus) omnia volunt vel etiam in rebus Mysterii atque fidei ad placita rationis ut judicem & normam veritatis trutinare, & secundùm illa examen doctrinarum fieri; cùm tamen tantum absit ab exploratione divinâ humana mediocritas, ut neque quæ supra nos, cælo suspensa, sublata sunt, neque quæ infra terram profunda, demersa sunt, aut scire fit datum, aut scrutari permissum, aut scisciteri religiosum; satius esse putamus, his in rebus hallucinari

nari & ignorantiam noſtram cum Dionyſio (cap. 2. *de divinis nominibus*, qui cognitionem de Deo, *ignorantiam* appellat) ingenuè profiteri; quàm odioſâ diligentiâ ea perquirere, quæ rectiùs latuiſſent: imò cùm ratio humana adeò ſit cæca, perverſa & depravata, ut illa nequaquam hoc ſibi arrogare queat de rebus divinis, ex & ſecundùm ſe judicandi; juxta illud Apoſtoli: *non quod idonei ſumus à nobis ipſis quid cogitare, ut ex nobis ipſis, ſed aptitudo noſtra eſt ex Deo*, 1 Cor. 3. v. 5. item; *Animalis autem homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei; ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere*, 1 *Cor.* 2. *v.* 14. & ſecundùm illud Pauli: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiam*, 1 Cor. 1. v. 23. *propterea quòd intelligentia carnis inimicitia eſt contra Deum: legi enim Dei non ſubjicitur: nam nec poteſt quidem*, Rom. 8. v. 7. Quomodo ergo tam impotens ratio in divina ſic temerario involet, atque hîc dictaturam & judicium ſibi aſſumat? Humiliter itaque illud tenendum quod præmonuit Apoſtolus, Rom. 12. v. 3. *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei. Ut igitur* (ſicut loquitur Hilarius lib. 10. de Trinit.) *Solita videndus eſt, ut poſſit videri, tantuſque excipiendus lumine eſt, quantus admittitur: ne ſi plus velimus expetere, minus quoque quàm poſſumus conſequamur: ita & ratio cœleſtis in tantùm intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi: in tantùm expetenda eſt, in quantum apprehendendam ſe dedit; ne ſi contenti*

tenti indulgentiæ moderatione non ſimus, amittamus indulta.

VII. An ideo videtur contradictionem involvere, aut veritati naturali repugnare, quòd *Deus prout in ſe eſt, ejuſque eſſentiam non viderimus?* cùm eo modo à nemine, niſi à ſemet ipſo poteſt apprehendi, ſecundùm illud *Pauli* 1 Tim. 6. v. 16. *Lucem habitans inacceſſam; quem nemo hominum vidit, neque videre poteſt*: propterea etiam ait ipſe Deus: *Non poteſt me homo videre & vivere*, Exod. 33. v. 20. quòdque nihil ſimile aut tale occurrat in tota rerum natura, in quo perfectè rationem *Trinni* nobis aut aliis commonſtrare queamus? quaſi adhuc alii ſint Dii infiniti; Deus unus eſt, & nihil Deo aſſimilari poteſt, *Eſa.* 40. v. 18. Neque enim Deum ab exemplis credimus, ſed ex auctoritate ipſius: Quiſquis autem exempla eſſentiæ divinæ aut proprietatum petit, is Deo illudit; alios enim Deos ſibi dari petit: quòd nulla pietatis, aut etiam naturæ lege, permittitur. Argumentis ſimilibus oppugnari poſſet Dei omnipotentia, omniſcientia, ſaltem præteritorum & præſentium, item æternitas, &c. quia in nullo illa inveniri poſſunt; nec poteſt dari ſimile. Jam pergit Adverſarius ad ſecundum membrum Dilemmatis.

ANONYMUS.

recte. *Eamus ergo ad Scripturam. Sed interim memento, nisi irrefragabilia habeatis ex Scriptura argumenta, jam vos apud rationis tribunal causâ cecidisse: atque eo ipso gravi jam apud omnes cordatos præjudicio laborare causam vestram, quòd tam pugnantia & irrationalia ex Scripturâ Sacrâ demonstrare velitis. Hoc enim nihil aliud est, quàm si quis id, quod album esse videt ac judicat ratio, atrum esse ex Scriptura probare vellet. Sed ut ut sit, veniamus ad Scripturæ tribunal. In Sacra Scriptura si hoc dogma Trinitatis continetur, tum aut expressis verbis scriptum est, aut necessariâ ac firmâ consequentiâ potest ex Scripturâ deduci. Sed nec illud factum est, nec hoc fieri potest. Ergo dogma hoc frustra autoritatem Sacræ Scripturæ sibi prætexit. Expressis verbis non contineri plusquàm certum est. Deberet enim vel vox Trinitatis extare in sacris literis: vel quod ei aquipollet, Deum unius quidem esse essentia, trium autem esse personarum. Sed nemo hactenus inter tot eruditos extitis, qui hæc in*

Sacris literis ſcripta nobis oſtenderet. Si conſequentiis agendum eſt, videamus quàm ſint legitimæ. Examinentur omnia, quæ afferuntur ab ipſis pro Trinitate loca: & an neceſſariò evincant hanc ſententiam, conſideremus. 1. *Producunt loca, in quibus quædam de Deo pluraliter efferuntur: ut cùm Deus* Elohim *vocatur, quæ vox pluralitatem ſignificat; cùm Deus dicit de ſe; Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis. Quem mittam & quis ibit nobis? *Et multa id genus alia; ex quibus concludunt, cùm alibi in Scriptura apertè Deus unus eſſe dicatur, eum unam eſſentiam, tres habere perſonas. Sed ponatur, oro, vel ad breviſſimum tempus præconcepta opinio, & accedat quiſpiam nullâ receptæ ſententiæ cognitione imbutus, ſolam tantùm ſanam adhibeat rationem, an unquam poterit talem conſequentiam ex his verbis exſculpere, qualem iſti putant ex iis neceſſariò effici? Quid non tandem ex Scripturis concludere licebit, ſi tam tenuis & exilis conjectura ad tam contrariam omni rationi Sententiam confirmandam ſuffecerit? Certè ex hac pluralitate non minùs plures eſſentias in una Dei perſona colligere poſſis,*

quàm

quàm plures personas in una essentia. Et quid ei facias amabò qui quia Deus unus esse apertè in Scripturâ dicitur, statuat, Deum esse unam tantum personam; & quia in plurali aliquando numero Deus de se, aut de Deo Scriptura loquitur; dicat, plures in eo contineri essentias? Nonne omni ex parte par fuerit consequentiæ ratio? Neque hæc sententia de pluralitate essentiarum in una persona magis absurda, quàm illa de pluralitate personarum videri debet; cùm vulgò id omnes Trinitatis professores in Christo agnoscant, in cujus unica persona duas naturas seu essentias contineri credunt. Ita videmus, hominibus istis licere, prout collibitum fuerit animo, modò uni essentiæ plures personas, modò plures essentias uni personæ includere. Quo itaque jure ex illis, quos adducunt, locis pluralitatem personarum potiùs quàm essentiarum concludent? cùm illud non minùs à ratione alienum sit, quàm istud.

ORTHODOXUS.

I. NImiâ ambage in hujus posterioris membri probatione utitur Adversarius, rhetoricaque priùs videtur quàm scopum suum probare, ut sub blandæ orationis lenocinio, verba dando, incautiores magis seducere valeat. Ad Argumentum tamen ab eo constructum (scil. *In Sacrâ Scripturâ hoc dogma Trinitatis continetur, tum aut expressis verbis scriptum est, aut necessariâ, ac firmâ consequentiâ potest ex Scripturâ deduci. Sed nec illud factum est, nec hoc fieri potest. Ergo, dogma hoc frustra autoritatem Sacræ Scripturæ sibi prætexit.*) Respondemus, Negando min. Quamvis enim ob magnam humani eloquii in re tantâ inopiam, (teste *Augustino*, lib. 5. de Trinit. cap. 9.) vox ipsa Trinitatis Formaliter & in Abstracto, quoad amussim syllabarum, aut vocis non extet; tamen patet Materialiter rem ipsam, & in Concreto, imò non tantùm quoad numerum numeratum, sed etiam quoad numerum numerantem in Scripturis tradi, & proinde Trinitatem statui ubi tres sunt ut 1 Joh. 5. v. 7. *Tres sunt qui in cœlo testantur Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.* Matt. 28. v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Item Matt. 3. v. 16, 17. Ubi Dominus baptizatur, Spiritus descendit in specie columbæ, Patris vox testimonium Filio perhibentis auditur, aperiuntur cœli, non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis, quibus

& Ezechiel in principio voluminis ſui, apertos eos eſſe commemorat: ſedit quoque columba ſuper caput Jeſu, nequis putaret vocem Patris ad Johannem factam, non ad Dominum. Ad quæ verè Cyprianus in ſermone de Baptiſ. Chriſti & manifeſtatione Trinitatis: *Hucuſque Domine ſancte Pater, non audivimus te loquentem. Certè tibi ſoli nota Trinitas, & ſolus Pater ſcit Filium*, &c. Verùm de his in ſequentibus. Faciles ergo debemus eſſe circa uſum vocabulorum, quando conſtat de re ipſa: Hoc enim vel ipſi pueri nôrunt, hoc prima Grammaticæ rudimenta docent, hoc nulla religio prohibet: hoc natura aſſerit, ſi qui tres ſunt, eorum trinitatem eſſe: ſi qui decem, eorum eſſe decuriam: ſi qui unus, ejus eſſe unitatem. Qui hanc vocum fugiunt analogiam, eos aliud in re ipſa oportet aucupari. Undè rectè docta vetuſtas: *Vocabulum* (inquit Trinitatis) *in Scripturis non legimus; rem cui hoc vocabulum rectè adhibitum eſt, fideiq; e ſenſum invenimus.* Auguſt. *Epiſt.* 174. *contra Paſcentium Arianum*; idem inſuper *in Johan. Tract.* 97. Ambroſ. *lib. de Fide contra Arianos cap.* 5. Baſil. *contra Eunom. c.* 4. *Tract. Definit. Tom.* 2. Athanas. Auguſt. *contra Maximinum Arian.* Theod. *Hiſt. l.* 1. *c.* 8. Cùm igitur, unum eſſe Deum, ſcriptura nobis clariſſimè aſſerat, *Deut 6. v.* 4. *Eſa.* 42. *v.* 36. *Eſa.* 44. *v.* 1. item 45. *v.* 5. *Marc.* 12. 32. 1 *Tim.* 2. *v.* 5. Tres quoque hypoſtaſes diſertè ac ſingulariter nobis eadem, locis paulò ante citatis, proponat. Hinc colligimus Unitatem Dei ſubſiſtere in Trinitate, & hanc ſua habere propria.

II. Quod attinet ad loca ab Adversario allegata ut: *In principio creavit* Elohim *cœlum & terram*, Gen. 1. v. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, Gen. 1. v. 26. *Ecce homo est sicut unus ex nobis*, Gen. 3. v. 22. item: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Esa. 6. v. 8. Illa ipsa, unitatem essentiæ, & pluralitatem personarum nobis firmiter adstruunt. Regula enim nobis firmissima est, *quòd ubi Deus de se in plurali numero loquitur, Trinitatis nomen insinuatur*, teste Augustino de Fide ad P. Diac. Quam regulam tanquam Argumentum pro confirmando S. S. Trinitatis Articulo nobiscum usurpant, è Papistis, *Bellarminus l. 2. de Christo, c. 6. Sect. Quartum. Cornelius à lapide comment. in Gen. 1. p. 55. in cap. 3. p. 89. in c. 11. p. 139 Hector Pintus, in Esa. c. p. 70 Casp. Sanctius in Esa. 6. p. 81.* &c. è Lutheranis verò omnes, qui à nobis hactenus visi sunt. Ex Patribus autem præter Augustinum, *Hilar. lib. 5. de Trinit. Athanas. Orat contra idola. Basil. hom. 10. in Exameron*, & alii plures. Deinde: Quia, quotiescunque Jehova singulare, cum *Elohim* quod plurale est, aut hoc nomen aliter cum verbo singulari conjungitur, toties id fit ad significandam unitatem essentiæ, & pluralitatem personarum; ut jampridem ex *Rabi Huna, Rabi Hilmai, Rabi Mose Hadarsan observatum annotavit Galatinus lib. 2. c. 9. Hebræorum pertissimus; ut & Schindlerus exactissimus Hebræus, qui etiam Lexicon pentaglotton scripsit in voce Elohim*, v. 7. 8. ubi non adeò argumentamur ex voce pluralis numeri, cum singulari constructa (quæ numeri Enallage apud Hebræos

Hebræos est frequentissima) ac quidem ex admirandâ & divinâ ejus constructione, & cum affixis conjunctione, ubi affixa semper sunt singularis numeri, quantumvis ipsum nomen *Elohim* plurale sit; quæ sanè aliquid hîc vulgare, & mysterium subesse haud obscurè indicant, imò pluralitatem personarum apertè deprædicant. Quam personarum pluralitatem restringi ad Trinitatem, ex eo colligimus: 1. Quia credimus tres esse hypostases nobis in Scripturâ significatas, per nomina quæ relationem significant. Non est enim Pater, nisi Filii, nec Filius nisi Patris; nec Spiritus nisi spirantis. *Chamier. de Canone lib. 9. cap.* 10. 2. Quia uti essentiæ divinæ competit perfectissima Unitas; ita personis divinis competit perfectissima pluralitas, quæ est Trinitas: nam tres faciunt Collegium, & omne trinum perfectum. 3. Quia, cùm non possit in nobis concipi communicabilitas naturæ spiritualis ad intra, nisi per duo principia, Intellectum scilicet & Voluntatem; hinc sequitur non nisi duas esse in Deo processiones; Unam per modum *Intellectionis*, quâ generatur Filius, qui proinde *sermo & sapientia* Patris dicitur: Alteram per modum *Volitionis*, quâ Spiritus Sanctus spiratur, quem ideo *amorem* Dei speciatim vocare volunt Scholastici; adeoque per istas duas processiones pluralitatem illam personarum, ad Trinitatem restringi manifestè asserunt, videlicet ad Filium procedentem à solo Patre, & Spiritum Sanctum à Patre & Filio, unum simul relatum constituentibus. 4. His adjicimus Raymundi Lulli, magni suæ ætatis Philosophi, Syllogismum, à Tannero (*Tom.* 1.

pag. 1071.) pro S. S. Trinitate nobis hoc modo relictum. Ubicunque est actus, est concordia agentis & acti in ipso actu. In divina bonitate est actus, quem ipse appellat bonificare. Ergo ibi est concordia bonificativi & bonificabilis in actu bonificandi: ac proinde pluralitas, sine qua concordia esse non potest. Ex quibus postea infert, cùm tria hæc sint in Deo, re ipsa distincta, nimirum bonificativum, bonificabilis, & actus bonificandi, hæc esse tres personas, neque has alias esse quàm Patrem, Filium, & Amorem seu Spiritum Sanctum. Hæc in genere ad loca citata, Jam sigillatim expendenda.

III. De primo loco, qui est *Gen.* 1. *v.* 1. nihil planè dicemus, cùm de eo, in tractatulo nostro (*qui est, de Exam: doctrinæ Ariano-Sociniana, Exam.* 4. *Segm. de Deo*) fusè egerimus; de cæteris itaque reliquum est ut disseramus; quorum primus est, Gen 1. v. 26. *Postea dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram:* ubi audiamus primùm quid de hoc loco sentiat pia antiquitas. *Theodoret. quæst.* 9. *in Gen.* confutans hæreticorum & Judæorum glossemata: quorum illi ad Angelos, hi ad se dixisse Deum more principum seu potentiorum contendebant, verè affirmat: *quòd in universa planè Scripturâ divinâ liceat audire Deum singulari numero loquentem: raro autem pluraliter sermonem formantem, nisi cùm innuit numerum personarum Trinitatis.* Et paulò post: *Per hoc* dixit Deus, *communionem divinæ naturæ explanavit: Subjungens autem illud*, Faciamus, *expressit numerum personarum: similiter cùm iterum singulari numero dixit*, Imaginem,

Imaginem, *eandem esse naturam ostendit. Non enim dixit ad Imagines sed ad imaginem. Cùm autem dixit* Nostram, *numerum hypostaseon id est personarum manifestavit.* Ita *Justinus de veritate Christianæ religionis tom.* 2. *in Tryphone.* Ex Latinis autem *August. de Genesi ad literam cap* 16. *Epiphan. contra Saturnianos.* Et elegantissimè *Ambrosius in Hexamero suo, lib* 6. *c.*7. *Cui dicit? Non sibi utique: quia non dicit faciam, sed faciamus: non Angelis, qui ministri sunt: servi enim cum Domino, & opera cum authore non possunt operationis habere consortium: sed dicit Filio, etiamsi Judæi nolint, etiamsi Ariani repugnent. Sed & Judæi conticescant, & Ariani cum suis partibus obmutescant: qui dum unum à consortio divinæ operationis excludunt, plures inserunt, & prærogativam quam Filio negant, servulis donant.* Unde Argumentum extruimus tale: Aut ad se locutus est Deus cùm dixit *Faciamus*, aut ad alios. Si ad se, ἀδολεσχία erit, & quædam ab ingenio humano ficta superbia. Sin ad alios vel ad Angelos, vel ad Filium, cum quo Spiritum Sanctum conjungas necesse est. Si ad Angelos, creatores erunt, quod est contra Scripturam: fecit enim Dominus ad imaginem suam. Ergo necessariò ad Filium dixit. Jam restat ut aliquot etiam rationes adjiciamus, quibus istorum opinio, falsitatis coargui & convinci possit.

Prima ratio sit hæc: Cùm Deus dixit, *Faciamus hominem*; proculdubio locutus est cum iis personis, quæ ad procreationem hominis simul cum ipso pariterque debebant concurrere: Sed Angeli

ad

ad procreationem hominis minimè concurrerunt: Ergo illud *Faciamus* non dixit Deus Angelis. Non concurriſſe autem Angelos ad creationem animi hominis eo patet argumento, quod animus cùm ſit incorporeus & immortalis, ex nihilo creatus eſt: at creatio cujuslibet rei ex nihilo, quia ſine infinitâ potentiâ fieri nequit, ſolius Dei propria eſt. Nec ad formationem humani corporis concurriſſe Angelos perſpicuè oſtendit *Moſes*, cùm Cap. 2. narrat Deum ipſum fuiſſe qui formaverit hominem de limo terræ, & inſpiraverit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, atque ita factus ſit homo in animam viventem.

Secunda ratio: Perſonas illas quibus Deus dixit, *Faciamus hominem* non fuiſſe Angelos, ſed unum eundemque Deum cum eo qui dixit *Faciamus*, apertè demonſtrat Moſes poſt hæc verba ſubjungens, *Creavit Deus hominem*; & in exordio, cap. 5. *In die*, inquit, *quâ creavit Deus hominem:* denique Scriptura nuſquam hominis creationem tribuit Angelis, ſed ſoli Deo.

Tertia ratio. Illud quoque refellit iſtam opinionem, quòd addatur *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* non enim Angelus eſt idea & exemplar hominis, nec in ſacris literis uſpiam reperitur hominem dici imaginem Angeli, vel ad imaginem Angeli factum: ſicut non ſemel legimus hominem dici imaginem Dei, & ad ſimilitudinem & imaginem Dei factum.

Quarta ratio: Hoc etiam convincit illud *Ad imaginem noſtram*, non enim Dei & Angelorum eſt una eademque imago, ſicut nec eſt una eademque natura,

natura, quinimò in infinitum diversa; proprietates enim naturæ divinæ, sunt oppositæ proprietatibus naturæ Angelicæ: Deus enim secundùm naturam suam est æternus, est simplicissimus, est immutabilis, est omnino independens; est in se & ex se substantialiter perfectus & beatus, est ubique; est infinitæ scientiæ ac potentiæ & bonitatis: his autem proprietatibus divinæ naturæ planè oppositas habet Angeli natura; unde pugnat primò idem assertum cum *ommiscentia & omnipræsentia Dei*, quam ei S. Scriptura ita tribuit, ut rationales creaturæ ab eo omnem suam sapientiam acceperint, quin & si quâ carent, ab eo solo efflagitare necesse habeant *Psal.* 139. *v.*4. seq. *Psal.*147.*v.*5. *Rom.*16. *v.*27. 1 *Cor.* 1. *v.*25. 1 *Tim.*1. *v.*17 *Jac.*1. *v* 5. *Dan.*2.*v.*21. Quî ergo infinita & increata sapientia consuleret sapientiam creatam & finitam? Pugnat porrò cum *liberrimâ atque omnino independente voluntate Dei*: Sicut enim Deus à nullo sive superiori, sive æquali, sive inferiori dependet, aut licentiam sumit, ut sit ac intelligat, ita etiam à nullo dependere dicendus est, ut velit; sed omnia quæ vult perficere, *Job* 9. *v.* 12. *Psal.* 115. *v.*3. *Psal.*135. *v.*7. *Rom.*9. *v.*19. 1 *Cor.* 12. *v.* 11. Suprema ac prorsus independente liberate vult, ut non opus habeat licentiam prius ab alio emendicare; quò sibi liceat voluntum effectui dare. Pugnat etiam idem cum *Majestate Dei sublimi*, super quam non est ulla alia. Cujus ratione proinde ipse non dicitur coram creaturis suis, sive cœlestibus sive terrestribus, se humiliare, aut sui humilitatem, humilibus indigitare sermonibus, sed

in

in tantâ sublimitate est ac permanet, ut omnia coram ipso se humilient & incurvent, *Esa.* 2. *v.* 11. *Esa.* 45. *v.* 23. Pugnat tandem assertio hæc Judaica cum *Angelorum bonorum officio*, quod nusquam dicitur esse, quòd sint Domino à consiliis suppeditandis, ope ferendâ, auxilio præstando; sed esse ei ab executione mandatorum ipsis impositorum, a collaudatione & deprædicatione, *Psal.* 91. *v.* 11. *Psal.* 103. *v.* 20. & seq. *Dan.* 7. *v.* 10. *Heb.* 1. *v.* 14.

Quinta ratio. Non hîc Deum esse allocutum superiora & inferiora mundi jam creata. (*ut vult Enyedinus*) 1. Quia, ubi προσφώνησις ad plures à Deo directa in Bibliis occurit: ibi verba προσφωνήσει congrua pluralis numeri & secundæ personæ (ut vocant Grammatici) adhibentur: juxtaque subjicitur verbum singulare ipsius Dei ut Esa. 1. v. 2. *Audite cœli: Jehova loquitur: filios educavi & extuli.* At nihil tale, *Gen.* 1. cernitur. 2. Quia homo neque ad superiorum neque ad inferiorum imaginem creandus erat: ideo Deus eadem eo nomine compellare non præsumitur. 3. Quia nihil quidquam superiora simul & inferiora entia ad creationem hominis contulerunt, aut etiam conferre poterant: quomodo eadem Deus isthuc invitârit & dixerit ad cœlum & terram; *Faciamus hominem ad imaginem nostram?*

Sexta ratio. Non denique (ut idem *Enyedius* refert) Deum voluisse hac loquendi formulâ suo exemplo, homines docere & commonefacere, ut nunquam viribus & ingenio suo tantum fidant, ut temerè

&

& sine diuturnâ ac maturâ consultatione ad res præsertim magnas gerendas accedant. 1. Nam, non quòd doceat hominem: sed quòd condere velit hominem Deus, hoc loco exponitur. 2. Nulla sequela: Homines sint cunctatores seriò de rebus agendis deliberent, sine diuturnâ ac maturâ consultatione ad res præsertim magnas ne accedant. Quare? Quia Deus dixit: *Faciamus hominem.* Egregium scilicet acumen! Neque enim hisce verbis deliberatio aut consultatio quædam (propriè loquendo) exprimitur. Quia non dicitur: *Anne faciamus? Itane videtur?* Sed simpliciter: *Faciamus*, Multò minus cunctatio aut diuturnior aliqua mora hîc innuitur. Quippe ocyus subjicitur, v. 27. *Itaque creavit Deus hominem ad imaginem suam.*

Septima ratio: Neque Deus sibi locutus est, dum dixit, *Faciamus hominem*: si enim sibi dixisset ut fieret, & rursus ipse fecisset, inanis & superfluus hic sermo existimaretur. Quid enim tam alienum ab eo qui solus esset, ut sibi faciendum diceret, cùm voluntate tantùm opus esset ut fieret? professione ergo consortii singularis seu solitarii intelligentiam subtulit. Non enim recipit solitarii solitudo *Faciamus*; solitario convenit *Faciam:* non solitario *Faciamus*, & *Nostram*; sed *Meam.*

Octava ratio: Quod si Deus sua attributa, id est suam ipse omnipotentiam, sapientiam, bonitatemque in consilium adhibuit; quàm absurdum hoc, existimare sine Dei omnipotentia, sapientia ac bonitate cæteras res esse creatas, priùs illâ non adhibita? Ac tametsi non negandum, excellentem hominis

minis creati dignitatem ex ista Triados quasi consultatione æstimari posse: quis tamen ferat impium hoc & inauditum glossema, quod cum adjunctis suis, hoc est sapientiâ, bonitate, deliberationem instituerit opifex. Ne homo quidem hominem cum suo consilio, cum suâ sapientiâ, humanitate, aut fide, deliberare nisi ineptè dixerit: & Deo ridicula ista & absurda hominum accensetur impunè improbitas? O dignum Syrmiensis Concilii fulmine Arianum sive Socinianum, quod est apud Socratem, *lib. 2. c. 3. in Tripart. Histo. lib. 5. c. 7.* Εἰ τις τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγειν ἀλλα αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν θεὸν εἰρηκέναι φησὶν, ἀνάθεμα ἔστω *Si quis verba hæc, faciamus hominem non Patrem ad Filium, sed ipsum ad se ipsum dixisse Deum pronunciaverit, anathema sit.* Concludimus igitur, cùm æternus ille omnium conditor, in totius universi productione fieri aliquid simpliciter jussisset: *Fiat Lux: fiat firmamentum: sint luminaria*, &c. augustius quoddam moliturus opificium, non secum ipse, nec cum Angelis ut Philo, ut Basilides, ut Cerinthus censuêre, contra quos *Chrysost. Tom 8. in Gen. Theodoret. quæst. 19. Ambros. in hexæmero*; sed cum λόγῳ suo coæterno, spirituque Sancto, de formando & creando nobiliore aliis creaturâ, homine, sapientissimè consultat.

IV. Secundus locus sic sonat: *Ecce homo est sicut unus ex nobis*, Gen. 3. v. 22. quæ verba, itidem manifestam divinarum personarum in eadem essentiâ Trinitatem nobis confirmant. Eadem enim Trinitas hîc loquitur, quæ & superius locuta est pluraliter

pluraliter ad semet ipsam dicendo. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* eadem inquam Trinitas hîc ostendit, qualis Adam vitio suo factus sit, quæ supra proposuerat, qualem illum facere voluerit. Dicit ergo; *Quasi unus ex nobis:* nempe ex tribus personis Trinitatis, unus est Pater, unus est Filius, unus est Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt, 1 *Joh.* 5. *v.* 7. quorum clariorem verborum explanationem à *Ruperto traditam Vide lib.* 3. *comment. ejus in Gen. cap.* 28. Idem testatur Justinus Martyr in dialogo adversùs Tryphonem. qui verba hæc inquit, *Ἑρμηνείαν aut figuratam locutionem non admittunt, quemadmodum exponere moliuntur Sophistæ & cavillatores, qui neque dicere, neque mente concipere veritatem possunt.* Neque Deus hîc secum loquitur more magnatum & summorum Principum, qui majoris auctoritatis & majestatis exprimendæ causâ numero plurali de se ipso loquuntur. Nusquam enim agnoscit Scriptura S. hunc loquendi modum; ne in Regibus quidem ambitiosissimis; sed è contrariò ostendit, eos de se locutos fuisse in numero singulari, nimirum ex *Gen. c.* 14. *&* 20. *&* 41. *Dan. c.* 2. *& seq.* 2 *Chron.* 36. *Esd. c.* 1, 6. *&* 7. Et quamvis communis sit hodie modus ac consuetudo magnatum, in promulgandis publicis edictis & mandatis suis, morem locutionis pluralis adhibendi, ad insinuandam Authoritatem suam; Quòd si ergo Deus magnates hâc in parte imitaretur, tum & ille modus patefaciendi Majestatem suam, ei *communissimus & perpetuus* esse deberet; aliàs nulla esset ei hâc in parte cum

Magna-

Magnatibus convenientia, prout tamen Adversarii contendunt. At adeò non est ille *modus Deo perpetuus*, ut dum legem suam Israëlitis magnâ cum gloriâ suâ publicè promulgavit, ille non plurali sed singulari numero, sicut & alibi sæpissimè usus fuerit, *Exod.* 20. *v.* 2,5, &c. His adde, multò recentior adulationi & fastui conformior, & sanioribus etiam Politicis absurdior ac vilior est modus ille Regum & Magnatum, quàm ut cogitari possit ac debeat Deum antiquissimum, summum & omnisapientem aucupandæ gloriæ causâ illum assumere. Neque hîc alloquitur Deos: quia unus Deus Israëlis. Non idiomata: quia hæc nunquam compellasse Deus legitur. Non Angelos: quia eosdem in pari honoris gradu Deus nunquam collocat. Ergo ὑπόστασις, sive ejusdem cum ipso essentiæ personas alloquitur, scil. Filium & Spiritum Sanctum; quod erat dicendum.

V. Tertius locus allegatorum sic sonat: *Quem mittam? & quis ibit nobis.* Esa. 6. v. 8. Ubi rursum firmiter colligimus sanctèque profitemur, veluti & in duobus locis præcedentibus: Deum esse qui loquitur Patrem generantem, ad Filium genitum, & Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio. Inter eos enim fit hæc consultatio, ad quos factum τρισάγιον illud Seraphicum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova Zebaoth.* Atqui hos fuisse Deum Patrem, Filium, Spiritum ex interpretatione Apostolica. *Joh.* 12 41. *Act.* 28. *v.* 26. *Rom.* 14. *v.* 11. *&* 1 *Tim.* 6. *v.* 6, *&c.* certò certiùs constat. Ergo. Sic *August. contra Adim. cap. ult. Cyrillus*

tus de Trinit. lib. 6. & 7. Hilarius de Trinit. lib. 5. & 12. & Hieronymus in Epist. ad Damas. Idem observavit, quod postquam dixit: *Quem mittam?* subjungit, *Et quis ibit nobis? Notatur hîc mysterium Unitatis & Trinitatis Dei: Unitatis in eo quòd dicit,* Quem mittam? *Trinitatis in eo quòd subditur.* Et quis ibit nobis? Item *Ambrosius* lib. de fide ad Gratianum cap. 4. ubi explicans trisagium ex hoc eodem Esaiæ capite, *Quid sibi vult,* inquit, *sub uno nomine trinæ sanctitatis repetitio? &c. Non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum Sanctum præteriret: non quater, ne creaturas adjungeret. Et, ut ostenderet unam esse Trinitatis Deitatem, cùm tertiò dixisset (Sanctus, Sanctus, Sanctus,) addit singulariter (Dominus Deus Sabaoth.)*

VI. Quàm miserè hîc argumentatur, & per arenosas discurrit consequentias Adversarius, ostensurus *ex hâc pluralitate non minus plures essentias in una Dei persona colligere posse, quàm plures personas in una essentia*; sed probandum hoc, non simpliciter asserendum fuerat; quod tamen callidè reticet impurus spiritus.

VII. Sophisma hoc: *Deus est unus. Ergo una tantùm persona,* millies ferè ab Orthodoxis Christianis passim refutatum, ut mirum sit, quomodo repetere iterum ausit Adversarius. Tamen quod ad rem: Fatemur quidem S. Scripturam facere mentionem unius tantùm Dei, *Deut. 6. v. 4. 1 Cor. 8. v. 4, 6. Eph. 4. v. 6.* & quis dubitat? Unus enim est Deus & non plures, nihil contra nos; verùm in illis locis

nomen Dei, vel sumitur οὐσιωδῶς (essentialiter) sicque non valebit Argumentum ab unitate essentiali ad unitatem personalem; vel sumitur ὑποστατικῶς, (personaliter) pro Patre, non ad excludendum à divinitatis ejus consortio Filium & Spiritum Sanctum, sed tantùm ad distinguendum Patrem ab utroque; vel sumitur pro vero Deo φυσικῶς considerato oppositè & exclusivè ad alios Deos καταχρηστικῶς abusivè sic dictos; non verò determinativè an plures in isto uno Deo sint personæ. Et per consequens malè concludi: *Deus unus dicitur in Scriptura, Ergo Deus una tantùm est persona:* imò qui unum hîc Deum credunt, & excludunt tamen Filium & Spiritum Sanctum, Diaboli sunt, & inimici omnis justitiæ sicut verissimè pronunciavit *Ignatius ad Antiochum, Epist.9.* Adhæc, si secundùm quosdam fallax enthymema Adversarii justis partibus instruatur, quas Syllogismorum ratio postulat, sibi profectò constare non potest. Nam si dicat: *Quorum una est essentia, una est persona,* falsa propositio est: cum omnium hominum sit una essentia, personæ quam multæ? Si dicat; *Qui unum sunt essentiâ, unum sunt personâ,* itidem falsum: nam eo ipso quòd plurali numero utitur, *qui sunt unum,* singularia subjecta sive individua ponet, de quibus unum commune prædicatur: quâ ratione dicebat Christus: *Ego & Pater unum sumus, Joh.* 10. *v.*30. Si denique ipsi placeat dicere, *Qui unus essentiâ est, unus est personâ,* aut illudit, aut inscitiâ suâ sibi illuditur. Quum enim dicit *unus* vel *qui unus est,* individuum notat atque suppositum, vel personam aliquam

quam individualem unam; sic nomen essentiæ, quòd communius est per se, restringit atque determinat (ut fas sit ita loqui) personalitate unâ. Ergo subjectum & prædicatum hujus enunciationis suæ sic adæquat, ut tres una sit, & idem per idem exponatur: sed ratione peccat, & eò in vitium incidit, quòd angustiorem vocem in prædicato quàm in subjecto ponit, pro eo quòd ipsum oporteret dicere, qui unus est personâ, unus est essentiâ. Unde videt ipse Adversarius, utcunque majorem formet statuminando Enthymemati quod obtrudit, meras præstigias, mera monstra esse. De Minore, quæ prior pars est Enthymematis, videamus. *Unus est* inquit iste Scripturâ *Deus*. Verissimum: sed rectè intelligendum: nam & in subjecto & in prædicato positæ sunt adversùs imprudentiores tendiculæ, nisi attenderint: & ex iis falsa concluso adstruitur. Deus enim aut absolutè & indeterminatè dicitur, aut etiam determinatè. Priore modo de essentia, posteriore de aliqua una persona dicitur. Secundùm priorem modum Christus dicebat, *Deus est Spiritus*, *Joh.* 4. *v.* 24. Secundùm posteriorem Paulus, *Unus Deus Pater omnium*, Eph. 4. v. 6. Hic autem *Deum* absolutè & indeterminatè enunciat: de essentia igitur prædicatio est, & ita accipimus: ipse de persona accipit æquivocè & idem concludit, contra prædicationum & argumentationum leges. Quòd si de persona negat à se accipi; sed potius se ab unitate essentiæ de unitate personæ affirmat concludere, rursum imperitos circumvenit prædicationis modo, quia non distinguit rem, sed

de industria dissimulat mentem suam. Ipsi ergo dicendum fuerat, *Deus unus essentiâ, igitur & personâ unus.* Atque hæc Adversarii nostri mens, quam nullo pacto confirmaturus est sive auctoritate Scripturæ, sive naturæ usum perveſtigaverit. Hoc enim ut assequatur necesse est probet paradoxum istud, *unum essentiâ & unum personâ idem esse*, & terminos (ut vocant) esse convertibiles.

VIII. Desperatæ causæ argumentum est, *ex pluralitate vocis Elohim* colligere pluralitatem tam essentiarum, quàm personarum. 1. Quia *Elohim* est vox significans vel ἑνιωδῶς unam essentiam cum plurib. subsistendi modis; vel ὑποσταλικῶς essentiam Dei cum definito modo subsistendi. Jam verò tres illi in una essentia divina modi subsistendi, sive tres illæ in Deo personalitates, quæ quasi modos dicentes à nobis concipiuntur, non multiplicant essentiam: cùm modus non componat rem, sed distinguat eam, & determinet; neque ullam ex se entitatem positivam addat subjecto, verùm illud saltem aliquomodo afficiat: cùmque unius rei possunt esse plures modi, qui non faciunt ut res sit aliud quid, sed ut sit aliter affecta. Ergo non valet argumentum à multiplicatione modi, ad multiplicationem rei modificatæ. Rectè enim *Bellarminus de Christo, lib. 2. c. 4. Hypostasin*, inquit, *non addere ad essentiam aliquem gradum naturæ, aut actum, sed solum modum essendi.* Et *Hypostasin superaddere essentiæ proprietatem aliquam; id est aliquem modum, ratione cujus fiat incommunicabilis.* Et pulcherrimè omnium Boëtius: *Relatio*, inquit, *non facit*

facit alteritatem in personarum essentia. Quia enim Pater, Filius, & spiritus Sanctus, relativè dicuntur de Deo, nulla est natura vel accessio nova, vel mutatio. Proindè in simplici atque impartibili natura, quæ una tantùm est & manet, minimè sequitur plures constitui essentias, vel naturas, quando alio atque alio modo unum Deum, & tres personas profitemur. Est enim διάφορος ista personarum, ut locuti sunt veteres, ἀδιάφορος] & hoc est, non realis, sed τῷ λόγῳ sive rationis. Et Pater est alius, seu non est Filius: Filius est alius, sive non Pater, propter hypostaticam illam differentiam, quâ inter se discernuntur: Pater verò & Filius, cum Spiritu Sancto, non sunt ἄλλο καὶ ἄλλο, verùm unus Deus: & unitate quidem summa, qualis est essentiæ. Vide Augustinum quoque lib. 7. cap. 4. de Trinit. Item de Trinit. Serm. 189. Ineptissima igitur cavillatio est, ob discrimen personarum, etiam naturarum sive essentiarum comminisci pluralitatem: cùm unica illa & simplicissima essentia omnium sit, non multiplex & diversa. 2. Quia repugnat etiam ratio rei significatæ, videlicet Deus essentiâ unicus, *Deut. 6. v. 4. 1 Tim. 2. v. 5. Eph. 4. v. 6. 1 Cor. 8. v. 5, 6* 3. Vel ex ipsis locis falsitas assertionis Adversi. patet; quia facere hominem, mentes & linguas confundere, & alia similia, sunt actiones, quæ non sunt essentiæ sive naturæ in abstracto; sed suppositorum sive personarum in concreto. Ex his itaque per *Elohim* plures essentiâ Deos non denotari facilè scimus.

IX. Iniquè conatur stabilire opinionem suam hæreticam Adversarius, de multiplicatione in Deo

essentiarum, *ex duarum in Christo naturarum pluralitate*: Supponitur enim ab eo, in duarum naturarum in Christo unione, nos statuere duas naturas sive essentias divinas esse in Christo, quod falsum est; cùm una eademque sit personarum omnium essentia, maneatque communis, usque dum modi sive subsistentiæ determinatione modificetur in personis: vel quasi persona Christi conflata sit ex divinâ & humanâ naturâ tanquam partibus propriè dictis tertium aliquid constituentibus, quod quoquè absurdum, cum divina sola sit persona, utpote in cujus hypostasin assumpta humana natura, & est adjunctum ὑποστατικὸς, *Psal.* 2. *v.* 7. *Heb.* 2. *v.* 16. Dicimus ergo in Christo esse duas quidem naturas, sed non divinas, verùm alteram divinam quæ modificata per se subsistit; & alteram humanam, quæ quamvis existat, non tamen per se subsistit, nisi quatenus sustentatur à personâ τῦ λόγυ; adeòque hìc consideramus naturam divinam, per modum existentiæ humanæ naturæ ultimò terminantis in persona τῦ λόγυ; *assumens enim semen Abrahæ. Heb.* 2. *v* 16. *Phil.* 2. *v.* 6, 7. *Heb.* 2. *v.* 14. *Venit in carnem*, 1 *Joh.* 4. *v.* 2, 3. *Joh.* 1. *v.* 11. & *cap.* 2. *v.* 19. *Hieb.* 9. *v.* 11 *sicque* λόγ& *factus est caro*, *Joh.* 1. *v.* 14. *Deusque manifestatus est in carne*, 1 *Tim.* 3. *v.* 16 Unde *modo uni essentiæ plures personas*, *modo plures essentias uni personæ pro collibitu animi nostri nos includere*, non nisi per calumniam Sociniana nobis affingit impietas. Scimus enim Concilium Ephesinum hæresim illam damnasse, ipsumque Nestorium ob illam blasphemiam depositum,

positum, ac in exilium missum, miserè interiisse. Item Concilium Constantinopol. 11. Can. 5. adversus eam sic decrevisse; *Si quis introducere conatur in mysterio Christi duas substantias, seu duas personas, anathema sit.* Et Can. 6. *Si quis abusivè Dei genitricem esse dicit gloriosam semper Virginem Mariam, anathema sit.* Leonem. P. Epist. 97. ad Leonem Augustum sic scribentem, *Anathematizatur ergo Nestorius, qui beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodò credit genitricem; ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis.* Et Gregorium P. lib. 18. mor. Cap. 27. hæc dicentem. *Quamvis ipse Christus aliud ex patre, & aliud ex matre; non tamen alius ex patre, & alius ex matre; sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre; ipse qui fecit, ipse qui factus est; ipse author operis, ipse opus author is; manens unus ex utraque, & in utraque natura; nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.* Vincentium Lirinensem denique lib adversus hæres. cap. 19. hoc modo disserentem. *In Deo una substantia, sed tres personæ; in Christo duæ substantiæ, sed una persona: in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius.*

E contra scimus rursus in Concilio Calcedonensi generali (quod fuit celebratum contra Eutychetem) actione 1. anathema prolatum fuisse in ipsum Eutychetem dicentem in Christo esse unam naturam, ex divina & humana factam. Et actione 5. profiteri Patres Concilii se credere *Christum Dominum,*

eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate; Deum verè, & hominem verè, &c. Ex Justino Martyre in expositione fidei idem dicimus: *Filius Dei,* inquiens, *cum unus sit, duæ in ea natura sunt; altera, quæ divina est, edit miracula; altera, quæ humana est, humilia excipit: quæ enim ex parte Deus est, res admirandas operatur; quæ vero, ex Virgine est homo, crucem, passionem, & consimilia voluntate sua naturaliter perfert.* Item ex Leone P. Serm. 17. de Passione Domini cap. 1. hæc scribente: *Manente in sua proprietate utraque substantia, nec Deus reliquit sua corporis passionem, nec Deum fecit caro passibilem; quia divinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore.* Non esset nobis difficilè hanc eandem porrò de duarum in Christo naturarum veritatem, præter expressa S. Scripturæ Patrumque testimonia, firmissimis quoque Conciliorum decretis munire; Verùm quia brevitatis admonemur ideoque facilè prætermittimus. Jam pergreditur Adversarius ad loca Novi Testamenti convellenda.

Anonymus.

Propiùs ad sententiæ suæ confirmationem videntur sibi accedere, & fortiùs argumentari: quando afferunt locum, Matt. 28. v. 19. *ubi Christus Dominus jubet Apostolis, ut* doceant omnes gentes, baptizantes eas in nomea Patris, Filii & Spiritus Sancti: &

1 Joh.

1 Joh. 5. v. 7. *in quo* tres *dicuntur* esse, qui testentur in cœlis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hos tres esse unum. *Hi sunt duo illorum Achilles, quibus nihil in tota Scriptura firmius ad hoc dogma stabiliendum invenire possunt. Ita ut nisi hinc Trinitatem suam exstruxerint, certum sit, actum esse de iis, & ex aliis locis nihil prorsus efficere posse. Nam hic non generaliter tantùm pluralitas quædam in Deo indicatur; sed restringitur numerus pluralis ad ternarium, ut non plures quam tres personas intelligere queant: & ne quis ambigere possit quinam sint illi tres, expressè Patris, Filii, & Spiritus Sancti fit mentio. Sed ego nihil amplius jam urgebo (tametsi multa hîc dici possent, quæ alibi in libris legere licet) quàm quòd superiùs quoque ursi, ut appareat, quàm sit invalida argumentationis consecutio, quam ex hisce ducunt locis. Trium, inquiunt fit mentio, quibus divini aliquid adscribitur, & qui unum esse dicuntur, iique describuntur, quòd sint Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Ergo Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres personæ & una essentia? Itane? Et cur non potiùs sic concludas. Ergo Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres essentiæ,*

& una persona. Annon æquè hoc atque illud sequitur ex isto argumento? Nam personas esse hos tres non dicitur: nec exprimitur, personâ an essentiâ unum sint, ut tam hoc quam illud intelligere possis. Imò progrediar ulterius & si comminisci licet quod lubet, ex omnibus istis locis pari consequentiâ evincam, tres esse in una Dei essentiâ essentias, vel in unâ divinâ personâ tres esse personas: quia tres dicuntur, & unum quoque: quia modo conjunguntur, modo à se invicem in Scripturis distinguuntur. Quid hîc dicturi estis? reclamabitis, ut opinior, hoc immane absurdum esse, & nugatorium, & manifestâ contradictione seipsum evertere. Rectè: sequeretur enim plures esse Deos; & unum simul. Sed non videtis, quid regeri possit? reddam vobis verba vestra: captivandam esse rationem; hoc esse peculiare divinitatis mysterium; imaginariam tantùm & apparentem, non veram esse contradictionem. Agnoscitisne voces vestras? ita enim vos contradictiones eludere soletis. Si volueritis ad alia Scripturæ loca confugere, & dicere: vos non simpliciter & his tantùm locis adductis, & quidem sigillatim sumptis, sententiam vestram excerpere, sed ex aliorum pluri-

plurimorum Sacræ Scripturæ locorum inter se & cum hisce collatione colligere, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres distinctas personas, & quidem in unâ essentiâ: hac exceptione tamen res nondum erit confecta, manebitque eadem difficultas. Ego enim omnibus istis locis sensum, quem voluero, affingam, etiam absurdissimum: & si urgear, facilè me tuebor ac protegam eodem illo, quo vos utimini clypeo, ut dicam: quamvis hoc videatur rationi absurdum, in Deo tamen id absurdum non esse; mysterium hoc esse sanctissimum, nec ad fallacem rationis humanæ stateram exigendum esse: scrutater enim majestatis opprimetur à gloriâ. Exurgat aliquis jam, & hîc se virum præstet; libens audiero, quo tandem pacto me refutaturus sit. Certò enim scio nihil hîc opponi posse, quòd non simili ratione refelli possit, quâ illi consueverunt ea, quæ contra ipsorum explicationem afferuntur, diluere. Sed dicetis fortasse tandem: probandum mihi esse; hoc esse tale mysterium & rem ita se habere in divinis, ut assero. Hoc ergo vobis quoque responsum sit: cum pro authoritate & arbitrio vestro definitis citra probationem, rem ita aut secùs se habere in Deo, quamvis apertam,

id

id quod dicitis, involvat contradictionem. Videte enim, vos non aliter, quàm oſtendi, procedere. Tres iſti Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unum eſse in Scripturâ dicuntur, & in divinis attributis, aut operationibus, aut nominibus conjunguntur. Ergo Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſunt tres perſonæ unam habentes eſsentiam, Adhæc ſi dicam, abſurdè id colligi, cùm una numero eſsentia non poſsit eſse tribus perſonis communis: perſonam enim nihil aliud eſse, quàm eſsentiam ſeu ſubſtantiam primam intellectu præditam; & viciſsim, eſsentiam ſeu ſubſtantiam primam intellectu præditam, nihil aliud eſse quam perſonam. Multiplicatis ergo perſonis, neceſsariò quoque eſsentias multiplicari. Reſpondebitis ſine omni dubio, me de rebus divinis judicare, ut de humanis; aliter ſe autem rem habere in Deo increato & creatore quàm in ejus creaturis; myſteriumque hoc eſse adorandum, non rimandum. Sed quid hæc inutiliter oggeruntur? probate mei domini, hoc eſse tale myſterium, & ſic ſe rem in Deo, ut dicitis, habere. Quomodo enim ego poſsum meliùs & feliciùs ſententiam aliquam aut loci explicationem ad incitas redigere ac refellere,

qu m

quàm si evidens absurdum in eâ ostendero? Fam si vos vultis vestram sententiam habere ejusmodi privilegium, ut etiam cum absurdo manifesto possit consistere, oportet vos sufficientia ejus rei argumenta proferre in medium. Quis enim id vobis credat, absque probatione, nisi prorsus stolidus? Verùm his vobis aquam harere videbitis. Debebatis enim ex Scriptura id probare: ecce autem reversi estis in circulum, & post allata ex Scripturis argumenta idem adhuc nodus restat solvendus, qui initio propositus fuit. Unde patet, non posse istos homines absque merâ principii petitione (ut loquuntur logici) causam suam tueri. Si ex ratione urgeantur, supponunt sententiam suam tanquam certam ac indubitatam & apertè in sacris literis expressam: ideòque rationem & quicquid ex illa conclunseris, quasi de sublimi speculâ despiciunt putares eos insolubilibus & invictis Scripturæ testimoniis velut triplici ære munitos. Sed ubi ad Scripturam ventum fuerit, tum iterum pro fundamento ponunt sententiam suam, quasi jam satis superque rationibus firmatam; atque idcirco consequentias suas ex Scripturâ deductas, quanquam elumbes, & longè petitas, pro necessariis obtrudunt.

Expe-

Experiatur quis volet, in omnibus eorum mysteriis id deprehendet.

ORTHODOXUS.

RECTÈ allegantur hæc loca ab Adversariis, e quibus S. Trinitatem adstruere nobis solent est; verùm in eò turpiter errat, quòd non nisi hæc duo loca tantùm statuat in tota Scriptura ad firmiter comprobandum SS. Trinitatis Mysterium: cùm infinita, firmissima juxta ac luculentissima, præter hæc Sacræ Scripturæ tam Novi quàm Veteris Testamenti, suppetant nobis testimonia; ex quorum numero inter alia sunt hæc *Matt.* 3. *v.* 16, 17. *Et baptizatus Jesus statim ascendit ex aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, venientemque super eum. Et ecce vox è cœlis, dicens hic est Filius meus dilectus in quo acquievi.* 2 Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communio Spiritus Sancti sit cum vobis omnibus.* Luc. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te: ideoque quod gignetur ex te Sanctum, Filius Dei vocabitur.* Joh. 14. v. 6, 17. *Et ego Patrem rogabo, aliumque Paracletum vobis dabit, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis:* hæc ex Novo Testamento: Ex Veteri autem duo tantùm adferimus ut *Esa.* 63. à *v.* 6. ad finem. Ubi tres nominantur: *Jehova, Angelus faciei ejus, & Spiritus sanctitatis ejus:* quem Angelum

gelum esse increatum collatio hujus loci cum *Exod.* 23. v. 20. 21, 22, 23. manifestè ostendit: item *Hag.* 2. v. 4, 5. ubi etiam tres nominantur: *Jehova, Verbum ejus, & Spiritus ejus.* Ergo tres personæ. Verùm hac de re consulatur *Cl. D. Walæus, in loco de S. S. Trinitatis Mysterio.* Cætera S. testimoniorum argumenta omittimus, manumque locis ab Adversario huc allatis admovebimus.

II. Prior locus est Matt. 28. v. 19. *Profecti docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Hîc nominatim tres personas recenseri & tribui eis parem potentiam & honorem cuilibet apertum est. Voluit enim Christus in hâc primâ cæremoniâ complecti summam Evangelii. Quare simul & testificatur recipi nos à Deo, & docet quis sit Deus; (videlicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus) quem Deum invocemus, & quid nobis donet; adeò ut misericordiâ & potentiâ hujus liberemur à peccato, à morte æternâ, donemurque justitiâ & vitâ æternâ. Quæ verba cùm profiteantur Patrem esse Deum, esse omnipotentem, esse invocandum; & ad hujus honoris societatem addantur Filius & Spiritus Sanctus; necesse est parem potentiam esse; cùmque par sit potentia sunt, ὁμοούσιοι: (ejusdem essentiæ) Quia potentiæ divinæ ad essentiam divinam ea ratio est, ut qui unum est cum Deo potentiâ, unum quoque sit essentiâ. Præterea constat Patrem & Filium Christum personas distinctas esse, quod nec ipse Adversarius audet negare, quare & nomine Spiritus Sancti, persona distincta significatur. 1. Nam, si Spiritus Sanctus

tantùm

tantùm significaret ipsum Patrem agitantem aut moventem, bis nominasset Patrem, & esset otiosa tautologia. 2. Quia, cùm ad Spiritum Sanctum eodem modo dirigatur invocatio, sicut ad Patrem & Filium, necesse est eum personam esse, & non virtutem vel qualitatem in Deo, seu motum vel agitationem creatam in homine. Nequaquam enim docet Christus invocare virtutem, vel qualitatem in Deo, aut motum vel agitationem creatam in homine. Cùm igitur invocatio pariter ad Spiritum Sanctum, ut ad Patrem & Filium dirigatur; hæc sententia docet, non solùm personam esse Spiritum Sanctum, sed etiam omnipotentem, exaudientem, & salvantem: hæc enim omnia complectitur invocatio, quæ parem honorem tribuit Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Est igitur tertia persona Spiritus Sanctus, discerniturque à Patre & Filio; quia procedit à Patre & Filio, & mittitur in corda, quæ vocat Evangelii regenerantur, ut novâ luce agnoscant, & invocent Deum, & inchoëtur in eis vita æterna, dum fide consolationem accipiunt. 3. Quia absurdum esset unum attributum subjungi duabus personis: siquidem aliàs etiam baptizari deberemus in nomine sapientiæ, justitiæ, misericordiæ divinæ, &c. nulla enim ratio dari potest, quòd si in nomine unius attributi baptizemur; cur non & in nomine reliquorum? 4. Quia nequit etiam aliter quam persona intelligi in cujus nomen baptizamur. Et quibus omnibus liquet, cùm Deus gloriam nominis sui, alteri tribuere nolit: quia verus est, *Esa.* 48. v. 11. nec tribuere possit: quia justus & gloriæ nomi-

nis

nis ſui Zelotes, *Deut.* 32. *v.* 4. & *Exod.* 20. *v.* 5; 7. eamque gloriam & Filio & Spiritui Sancto, cultum religioſum ac divinum eis aſcribendo tribuerit: ideo invictâ conſequentiâ concludimus; quòd dum hîc baptizari dicimur in nomen Patris, & Filii & Spiritus Sancti: & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus debeant intelligi Deus, & Deitatis eſſe unius tres perſonæ. Adjiciemus etiam nubem teſtium Orthodoxorum Patrum aſſerentium Myſterium Trinitatis apertiſſimè exprimi hoc loco, ſcil. *Baptizate eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti:* ubi tres diſtinctæ perſonæ, unum tamen illis divinitatis nomen, una tribuitur autoritas; quemadmodum *Baſilius Epiſt.* 64. *Athanaſ. Serm.* 3. *cont. Arian. & in orat. de æternâ ſubſtantiâ Filii: Hilarius lib.* 2. *de Trinit. Nazianz. in orat. coram centum quinquaginta Epiſcopis habita: & in Orat.* 5. *de Theologia. Ambroſ. lib.* 1. *de Spiritu S. Fulgentius in lib. de Fide Orthodoxa ad Donat. & lib. de Incarn. & Gratiâ Domini, cap.* 9 *latiùs exponunt.* Neque hîc valet detorſio illa *Enyedini* quâ comparare audet verbis illis Apoſtolicis, 1 Cor. 10. v. 2 *Omnes in Moſen baptizati ſunt* & addit: *Si in Moſen baptizare non ſignificat Moſen profiteri verum eſſe Deum: neque in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti baptizari erit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum profiteri verum Deum*: quaſi idem ſit in Moſen & in nomen trium perſonarum baptizari: iſthîc διακονία miniſterium indicatur, quod ſub auſpiciis & miniſterio Moſis in nube & in mari Iſraëlitæ baptizati ſint τυπικῶς: hîc ἀυθεντία docetur & po-

testas, quæ invocatione S. Trinitatis confertur ἐνεργητικῶς, quòd videlicet baptizati abluuntur à peccatis, fiunt filii & hæredes Dei. Paralogismum ergo phraseos incurrit turpis Sophista.

III. Posterior locus est 1 Joh. 5. v. 7. *Tres sunt in Cœlis qui testantur, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Hic locus pro Trinitate æquè clarus est ac manifestus ut & prior: quòd argumento solùm omnibus obvio ostendemus. Ubi tres producuntur qui in cœlis testificantur, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, deque iis prædicatur, quòd unum sint; ibi Deus unus essentiâ & trinus personis innuitur. Atqui hoc loco tres producuntur, qui in cœlis testificantur, Pater, Verbum, & Spiritus S. deque iis prædicatur quòd unum sint. Ergo hoc loco Deus essentiâ unus, trinus verò personis innuitur. Horum enim eandem esse scientiam, consensum, & voluntatem circa rem testandam, etiam ipse Adversarius hoc loco agnoscit: cùm autem unitas scientiæ, consensus & voluntatis, pendeat ab unitate & identitate essentiæ simplicissimâ; hinc manifestè inferimus hos tres testes cœlestes, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, esse tres personas, & unum essentiâ Deum.

IV. Adhæc frivola est Adversarii sequela: *Et cur non potiùs sic concludas? Ergo Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres essentiæ, & una persona:* quia de iis non prædicatur quod unus sint, sed quòd unum sint, non Adiectivè id est unum suppositum; sed substantivè, id est unum essentiâ, juxta Christi testimo-

ſtimonium, Joh. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus*, quod non de animorum conſenſione ſolùm aut operatione; ſed eſſentiæ unitate accipiendum eſſe, tùm ratio tùm textus, tùm Patres ipſi clarè docent. 1. Nam ſi ſint unum, eorum eſſentia una eſt: unitis ergo eſſentiæ. Qui de operatione accipiunt, nonne vident cauſam operationum reddi? at quorum una plane eſt operatio, una quoque eſſentia dicenda eſt. 2. Hoc ipſum Judæi ipſi agnoverunt & pro blaſphemia Chriſto expobraverunt? *Ob bonum opus* inquiebant, *non lapidamus te, ſed ob blaſphemiam, id eſt, quia tu cum homo ſis, facis te ipſum Deum*, v. 32. 3. Quia Chriſtus dictum illud quòd ſit Deus & Dei Filius autoritate Scripturæ, & operum ſuorum defendit, *v.* 34. *& ſeq.* quæ omnia unitatem eſſentiæ clariſſimè nobis indigitant. Quo etiam teſtimonio (ut rectè dixit *Auguſt.* Tract. 36. in Joan.) *ſimul liberamur ab erroribus Arii & Sabellii, tanquam à Scylla & Charybdi. Quod enim dicit* unum, *ſignificat veritatem eſſentiæ & naturæ, ac proinde conſubſtantialitatem, quam negabat Arius. Quod autem addit*, ſumus, *diſtinctionem indicat perſonarum, quam Sabellius inficiabatur.* Hoc eodem teſtimonio uſus eſt *Athanaſ. ſerm* 4. *contra Arianos & Hilar. lib.* 7. *de Trinit.* Porrò hos tres eſſe perſonas, refragante quomodocunque Adverſario, expreſſè dicitur in Textu. 1. Quia his omnibus competit definitio perſonæ, etiam ſecundùm ipſoſmet Adverſarios: Ipſimet enim definiunt perſonam *quòd ſit ſubſtantia intelligens & volens*, ut etiam noſter Anonymus definit, quam quidem de-

nitionem competere Patri & Filio nec ipsi eunt infirias; verùm Spiritui Sancto eam convenire aperto ore negant, contradicentibus licet clarissimis Scripturæ locis: nam Spiritus Sanctus tum *Intelligit*, 1 Cor. 2. v. 11. tum etiam habet *Voluntatem*, 1 Cor. 12. v. 11. 2. Quia hi tres in illustri illa revelatione divinitatis, factâ in baptismo Christi, clarissimè discernuntur tanquam tres personæ divinitatis, *Matt.* 3. *v.* 16, 17. ubi Pater voce è nubibus prolatâ, Filius baptizatus in Jordane, Spiritus Sanctus autem in specie columbæ se revelavit. 3. Quia his ubique opera personalia attribuuntur; de Patre & Filio nemo dubitat; de Spiritu Sancto verò evincunt personalia omnia, ut pote substantia & vita, ut qui essentiæ & vitæ omnis auctor, *Psa.* 104. *v.* 30. item quòd de Christo testatur, Christum glorificat, Apostolos docet, & ducit in omnem veritatem, consolatur, futura eis annunciat, mundum arguit, &c. *Joh.* 14. 15, 16, *cap.* quibus addimus & hoc, quòd tribuitur ipsi sermo, *Act.* 13. *v.* 2. & 21. *v.* 11. & 28. *v.* 25. & quidem eo modo, quomodo non potest tribui, nisi soli personæ, nec ulla Prosopopœja fingi potest. Nam modus iste loquendi excludit planè Prosopopœjam. Ad quæ scitè Gregor. Nazianzenus Orat. de Theol. initio: *Si Spiritus Sanctus est actus (ut statuunt Servetiani) agetur proculdubio, non aget. Quî sit ergo ut agat ipse, atque hæc & illa dicat & segreget, & mœreat & ad iram incitetur, & quæcunque rei motu agitatæ perspicuè sunt, non autem motus* Unde concludit idem: *Spiritum Sanctum ex eorum numero omnino statuen-*

dum

dum esse, quæ per se subsistunt. Similia passim reliqui omnes Patres, & cumprimis *Basilius lib 5. contra Eunom.* itemque Orthodoxa Concilia, ubicunque Spiritum tanquam personam tertiam Patri & Filio annumerant.

V. Qualis quæsò consequentia? *quia tres dicuntur & unum quoque: quia modo conjunguntur, modo à se invicem in Scripturis distinguuntur; Ergo sequitur tres esse in una essentiâ essentias, vel in unâ divinâ personâ tres esse personas*; itane concludendum? Quid non conficiet talis Logicus? qui aliud pro alio, & quidlibet ex quolibet concludat? imò contrarium illinc sequi jam ostensum est, Malitiosè ergo ab Adversario nobis affingi, quòd contradictiones eludere soleamus, ubi nulla contradictionis implicatio, vel ne quidem vestigium apparet contrarietatis.

VI. Postquam mens confirmata est, vel saltem ex firmis & perspicuis his duobus testimoniis; utiliter addimus & alia, non tam ob invalidam & insufficientem S. S. Trinitatis ex his probationem, vel verò vanam ostentationem; quàm ut piæ mentes in hujus doctrinæ veritate magis magisque confirmentur; utque lubrici isti & versipelles homines, è multiplicibus tergiversationum latebris protracti, qui subdolâ suâ interpretatione omnia Sacræ Scripturæ loca eludere satagunt; ita constricti teneantur, ut si ea concedant; impiam suam sententiam manifestè restractent; si verò negent, omnes pii eos esse blasphemos in Deum intelligant.

VII. Ingenuè fatetur Adversarius: *Ego enim omnibus istis locis sensum quem volvero affingam*; illud enim ut & excipere ad aliorum dicta amant ipsi, verùm eadem justis rationibus impugnare, & contrarium posse evincere planè ignorant: nisi quòd utrumque solitis suis rhetoricationibus & perorationibus ostentent potiùs, quàm agant. Sic Socinus Prælect. Cap. VI. *adversariorum sententiam refellere potiùs quàm nostram confirmare nobis propositum*: hic idem scopus nostri quoque Anonymi, qui quidvis temerè & cæco zelo arripiens, citra ullam probationem, mordicus defendere conatur; adeòque rectè Cyprianus quondam testatus est de Hæreticis: *Studio magis contradicendi, quàm voto discendi eo accedere, clamosis vocibus personantes malle sua impudenter ingerere, quàm vestra patienter audire.*

VIII. Ulteriùs progrediendo Adversarius, sic ratiocinatur: *Adhæc si dicam absurdè id colligi, cùm una numero essentia non possit esse tribus personis communis: personam enim nihil aliud esse quàm essentiam seu substantiam primam intellectu præditam, & vicissim essentiam seu substantiam primam intellectu præditam, nihil aliud esse quàm personam*: imò verò rectè & legitimè id colligimus; cum Celeber. Viro D. Maresio *in Hydra Socinianismi sic dissereuti* cap. XVII. pag. 158. tom 1. Neque enim unitas numerica Aristotelis, quæ est singulorum individuorum sub eadem specie comprehensorum, confundenda est cum unitate Dei simplicissima: siquidem Deus ita est unicus ut nullum agnoscat alium à quò solùm numericè ut Petrus à Paulo distinguatur: neque

neque ludendum est hîc in ambiguitate vocis. Nomen enim *subsistentiæ* quandoque *latiùs* usurpatur, vel ut contradistinguitur ab accidenti cujus esse est inesse; vel prout notat rei quidditatem & essentiam, quæ Græcis οὐσία appellatur; quandoque *strictiùs* prout subsistentiam habet, & dicit id quod existit incommunicabiliter, sive quod Græcis ὑφεστὼς vel ὑπόστασις dicitur. Hoc posito, agnoscimus primò quòd una numero Substantia secundo sensu sit una persona, neque tribus personis sit communicabilis; verùm negamus omnem substantiam priori sensu, id est omnem naturam & essentiam singularem esse personam, (quod liquet exemplo animæ separatæ, quæ licet existat in rerum natura, persona tamen dici nequit) atque sic essentiam sive substantiam infinitam qualis est divina, tres ejusmodi modos existendi incommunicabiliter admittere non posse, per quos tres distinctæ personæ ejusdem singularis essentiæ vel substantiæ divinæ concedantur. Deinde neque est legitima definitio Personæ quam adfert Adversarius: Nam anima separata (ut eodem utamur exemplo) quæ pars tantum est personæ, & ordinata ad illius complementum, persona dici nequit, quamvis sit substantia singularis intellectu prædita. Quare persona definienda est potiùs (secundùm Scholasticos) *suppositum intelligens*, quatenus suppositum est id non modo quod existit actu; id enim convenit omni substantiæ singulari, sive sit totalis & completa, sive partialis & incompleta; sed id quod propriè subsistit, id est completè & incommunicabiliter existit.

IX. Perabsurdè itaque infertur ab Adversario, *Multiplicatis ergo personis, necessariò quoque essentias multiplicari*: nam magnum est discrimen inter personas divinas & humanas; siquidem personæ humanæ constituuntur ex naturâ specificâ eâdem, sed numericâ distinctâ; secundùmque multiplicationem individuorum multiplicantur, prout singuli homines nascuntur; atque hinc fit, quòd tres personæ humanæ, sint tres homines. Verùm secus se res habet in personis divinis, quæ constituuntur ex naturâ sive essentâ numericè eâdem; unde fit quòd multiplicatio personarum in Deo, nullam inferat essentiarum multiplicationem, neque tres personæ divinæ dicantur tres Dii. Cùm autem voces illæ quibus utimur in doctrina S. S. Trinitatis, utpotè à rebus creatis ferè desumptæ, sint quidem veræ, sed imperfectæ, & res divinæ infinito modo eas superent, monente *Augustino* lib. 5. de Trinit. (*Rectè*, inquit, *scriptum est, tres personas in divinitate dici; non ut illud quod est Trinitas dicatur, sed ut non taceatur.*) Prudenter igitur & persapienter à nobis fit, qui dissimilem in Deo rationem esse asserimus ac in inferioribus; licet similis aliquando instituatur argumentatio: imò quid magis est ineptum atque stolidum, quàm in argumentationibus ex creaturis ad Deum univocos utrobique facere conceptus? nimis etenim illa distant, Deus, qui à se, & infinitus est; ac creaturæ à Deo undequàque dependentes.

X. Inanis

X. Inanis garrulitas Sycophantæ, quâ ulteriùs inquirit de apertiſſimâ hujus doctrinæ veritate; cùm ipſius ſit probare veritatem ſui theorematis, ſcilic. *Multiplicatis perſonis, neceſſariò multiplicantur eſſentiæ:* negamus enim nos hoc ſemper & ubique verum eſſe; verùm aliquando & alicubi: ſi nimirum quod multiplicatur, ſit aliquid abſolutum: adeòque per abſoluta multiplicantia, fiat multiplicatio. Ut in exemplo hominis, ut multiplicatis in Petro, Paulo, Johanne. Non autem theorema procedere univerſaliter, ſi unum per multiplicantia relativa multiplicetur, quo caſu neceſſum non eſt, ut uno multiplicato, multiplicetur alterum. Cùmque eſſentia in divinis ſit aliquid abſolutum, Perſonæ ſint aliquid relativum, adeòque per relativa fiat multiplicatio, non abſurdum eſt, eſſentiæ unitatem cum pluribus perſonis à parte rei identificatam ſtare. Hac de re *Vide Cl. D. Horenbeckium in conſut. Socinianis: lib. 11. cap. 5. ſect. 1. doctiſſimè differentem.* Imò ulteriùs progredimur & dicimus. Si in Deo tot ſunt eſſentiæ, quot perſonæ, ſequitur perſonas divinas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe ὁμοούσιος. Nam qui habent eſſentias à ſe invicem realiter diverſas, illi non ſunt ὁμοούσιοι; ſed differunt eſſentialiter. Major eſt vera. Veriſſimum enim eſt quod Smilerus ſcribit, *lib. 3.* de Filio Dei, *cap. 2. fol. 242. Quæ ουσία differunt, illa non ſunt coëſſentialia.* Item: Quia enim non una & eadem numero eſſentia humana eſt in Petro, Paulo, & Johanne, fit, ut Petrus, Paulus, & Johannes non ſint unus & idem numero homo: ſed quia alia numero

eſſentia

essentia humana est in Petro, alia in Paulo, alia in Joanne, fit ut Petrus, Paulus & Johannes sint tres numero diversi homines, ita ut aliùs homo sit Petrus, quàm Paulus & Johannes; & alius homo sit Paulus, quàm Petrus & Johannes; item alius homo sit Johannes, quàm Petrus & Paulus. Planè in eundem modum, si non est una, & eadem numero essentia divina in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, necessariò sequitur Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, non esse unum & eundem numero Deum; sed si alia numero essentia divina est in Patre, alia in Filio, ut item alia in Spiritu Sancto; necessariò sequitur Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, esse tres numero diversos Deos; ita ut alius Deus sit Pater, quàm Filius & Spiritus Sanctus; alius Deus sit Filius, quàm Pater & Spiritus Sanctus; & item, alius Deus sit Spiritus Sanctus, quàm Pater & Filius. Sicque eversâ doctrinâ de Trinitate, introducunt triplicitatem, sive tritheitatem.

XI. *Petitionem scilicet principii* nobis impingit, in probatione hujus doctrinæ, qui ex hoc malo ipsimet perpetuò laborant: nos enim veritatem sententiæ nostræ non modò supponimus, verùm etiam expressè eam extare in sacris literis certò asserimus, tanquam principium necessarium fidei ad salutem, quam per consequentiam quoque ex iisdem sacris legitimam probamus, neque unquam pro fundamento nudo usurpantes, ullâ nixi ratione, aliis obtrudimus. Nam aliud est hoc ipso uti ad defensionem ejus quod impugnatur; aliud verò, alio aliquo; si prius fiat, tum utique si ratio non addatur, nihil aliud est, quàm

petere

petere principium. Si posterius, si scilicet addatur ratio, tum nulla erit principii petitio. Jam autem, dum ad hypotheses nostras, (ut qui respondentis locum tuemur) recurrimus, easque rationibus munimus; eò ipso nullam principii petitionem incurrere dici meremur; ut hoc ipsum, etiam *Smiglesius contra Szualcium, & Camero in eruditissimo libello, quem vocat amicam collationem cum Tilena pag. 62. doctissimè ostendunt.* Jam transit Adversarius ad infinitam Dei essentiam, ostensurus (in quoad potest) in eâ statuminand quoque Petitione principii nos laborare.

Anonymus.

Sic cùm infinitam esse Dei essentiam statuunt, & ita ubique locorum diffusam, ut tamen tota sit in singulis locis (nam hujus quoque sententiæ futilitatem interest pernoscere) eadem oberrant chordâ. Similiter enim atque supra argumentabor. Cui sententiæ sana ratio contradicit, neque ex Scriptura monstrari potest, illa meritò à Christianis rejicienda est; Atqui talis est sententia de Infinita Dei essentia. Ergo sententia hac omnino rejicienda est. Minorem hujus Syllog. quoad priorem partem de ratione sic probo: Quæ sententia statuit unam numero essentiam esse, simul quoque plures essentias, id est unam simul

mul & non unam, illi contradicit ratio. Hu nemo negare poteſt; cùm aperta ſit contradictio. Atqui ſententia hæc, quæ apud Chriſtianos pleroſque obtinet, de infinitâ Dei eſſentiâ, id ſtatuit, nempe unam eandemque eſſentiam eſſe ſimul plures eſſentias, id eſt unam ſimul & non unam. Ergo iſti ſententiæ contradicit ratio. Minor propoſitio hujus iterum ita probatur: Quæ ſententia ſtatuit, in uno loco eſſe totam aliquam unam numero eſſentiam, & tamen eandem quoque eſſe totam in infinitis locis, illa ſtatuit unam numero eſſentiam eſſe ſimul plures eſſentias, id eſt unam ſimul & non unam. Atqui illud ſtatuit ſententia de infinitate divinæ eſſentiæ: (quod ipſi quoque non inficiantur) Ergo & hoc. Major iſtius Syllogiſmi nititur hoc evidenti principio: Multiplicatis locis, neceſſariò multiplicatur locatum (Innumera alia quæ ex hâc ſententiâ fluunt, abſurda nunc brevitatis gratiâ non proſequor: qui volet conſulat libros eâ de re conſcriptos.) Hîc quid reſpondebunt, cùm eos ad manifeſtum principium deduxerim? Dicent probè ſcio, ex recepta formula, Principium hoc non valere niſi in creatis; Dei aliam eſſe rationem; cujus natura tantum (imò longius) diſtet ab humanâ

manâ aut creatâ, quantum cœlum à terra: ideoque quod absurdum est in creatis rebus, non statim illud absurdum esse de supremo Numine. Sed dum hæc tam confidenter disserunt de Deo, quem nunquam viderunt, & sibi credi volunt, proferant tabulas, & ostendant argumenta, cur statuant, id quod manifesto probatum est, non habere locum in Deo. Probant igitur hoc ex Scriptura: quia de Deo dicitur, eum omnia implere; in cœlo, terrâ, & inferis esse, quòd sit immensus, magnus: quòd cœli cœlorum eum non capiant; *& quæ sunt similia. Resp. Hæc omnia conceduntur esse vera, quæ dicit Scriptura: sed quia hic nullam audimus fieri de essentiâ mentionem, quid cogit nos hæc loca de essentiâ divinâ accipere? quasi verò non possint illa simpliciorem & planiorem habere sensum: ut non opus sit nobis tàm ad absonam & ab omni ratione alienam de Dei essentiâ sententiam devenire. Præsertim cùm eadem Scriptura alibi Deum nobis tantum in cœlis ostendat, ad eum manus & oculos attollere jubeat, non habitare eum in templis manufactis, & multa talia asserat. Hinc ergo apparet consequentiæ, quam illi nectunt ex Scripturâ, infirmitas. Consequentiam autem*

tem istam nullâ ratione probare possunt, quamdiu manet absurdum illud, quod ex ratione supra ostensum est. Nisi velint dicere iterum; absurdum hoc in divinâ essentiâ non habere locum; sed illud ipsum est, quod probandum erat.

ORTHODOXUS.

NEcdum cessat Adversarius axioma suum Socinianum urgere, id est ex ratione ipsâ, quæ tamen hodie corrupta, impudenter aggannire, & tanquam Coccysmum subindè repetere: videamus nihilominus argumenta ex ea deprompta. *Cui sententiæ sanæ ratio contradicit, neque ex Scripturâ S. monstrari potest, illa meritò à Christianis rejicienda est. Atqui talis est sententia de infinita Dei essentia. Ergo sententia hæc omninò rejicienda est.* Resp. Negamus minorem. *Minorem hujus Syllog. quod priorem partem sic probat. Quæ sententia statuit unam numero essentiam esse simul quoque plures essentias, id est unam simul & non unam, illi contradicit ratio. Atqui sententia hæc, quæ apud Christianos pleroſque obtinet de infinita Dei essentia, id statuit. Ergo isti sententiæ contradicit ratio.* Resp. Negamus hujus quoque minorem. *Minor hujus iterum ita probatur: Quæ sententia statuit, in uno loco esse totam aliquam unam numero essentiam, & tamen eandem quoque esse totam in infinitis locis, illa statuit unam numero essentiam esse simul plures essentias, id est unam simul & non unam. Atqui illud statuit sen-*

sententia de infinitate divinæ essentiæ ; Ergo & hoc. Major istius Syllogismi nititur hoc evidenti principio : Multiplicatis locis, multiplicatur quoque locatum. Respondemus 1. ad Majorem per distinctionem : Vel dicitur aliquid in loco esse *primariò* & propriè ; Vel dicitur aliquid *secundariò* non per se, sed per aliud : sic anima corpori dum inest, cum eo in loco dicitur esse, qui tamen propriè corporis est : atque sic de Deo, ejusque essentiâ loquimur, eam in locis hisce quæ creavit etiam esse, sed secundariò, vel in loco aliquo singulati, propter singularem ejus ibi præsentiam, & operationem ; ut in tabernaculo, Sion, Arca, &c. in quibus Deus ejusque essentia non est ut in locis, qui in se semper est, atque extra omnia locorum spatia absolutus & immensus ; positâ hâc distinctione negamus conseq. Majoris. 2. Valet Major de essentiâ finitâ, creatâ, & certis extensionis dimensionisque limitibus circumscriptâ ac terminatâ ; minimè verò de essentiâ divinâ, utpote quæ est quantitatis expers, neque commensurabilis cum rebus materialibus & extensis, quibus adest, cùm sit inextensa & indivisibilis, & insuper tota sit extra illas ; imò cùm partes quantitativæ in ipsam non cadant, adeòque nusquam possit esse per partes co-extensas spatio, necessè est eam totam esse ubicunque fuerit ; adeòque hîc locus vel hæc res, utpote capacitatis finitæ, cui præsentiâ indivisibili eam adesse concipimus, nequit ita includere eam, ut eò quòd illi adsit tota, propter suam indivisibilitatem, debeat quoque illi adesse totaliter & exclusivè ad alia loca, aliasque res. 3. Essentia Dei verè

loquendo

loquendo neque est in loco: quia locus nihil aliud est, quàm spatium corporis recipiendi; dicimus spatium seu intervallum corporis recipiendi: ex aptitudine enim ad recipiendum corpus, locum æstimamus cum ipsis Scholasticis; (*ut videre est apud Suarez. Metaph. tom. 2. disp. 30. Ludovic. Molin. 1. p. quæst. 8. art. 1. Vasquez disp. 29. num. 14. & in 1. part Aquin. quæst. 8.*) quo etiam sensu locus dicitur considerari vel in *actu primo* ut potest recipere corpus locatum; vel in *actu secundo*, ut actu corpus continet. Essentia Dei autem non est corpus, neque ulla ubicatione circumscribi potest, sive activâ sive passivâ; quorum illa est loci locatum continentis circumscriptio, vel circumscriptibilitas à loco; neutrum verò in essentiam Dei cadit: Non prius; quia trinæ dimensionis non est capax scil. longitudinis, altitudinis & latitudinis, quâ distantiam faciat in loco ut corpus. Non posterius; quia loco non definitur ac determinatur; ita ut cùm alicubi præsens sit totus, alibi non inveniatur: Reliquum est itaque ut illocalis omnino & incircumscriptibilis essentia divina à nobis asseratur; quæ nec locis movetur aliquo modo, scil. vel determinatione finita, vel dimensione susceptâ, nec temporibus, sed affectu & cognitione movetur: *Lombard. l. 1. distinct. 34.* His præmissis ruit principium Adversarii; *Multiplicatis locis, necessariò multiplicatur quoque locatum*, intellectum tantùm de eo quod propriè locum occupat.

II. Jam ordinis ratio postulat, ut loca à corruptelis Adversi. vindicando, nostram quoque ex iisdem senten-

sententiam stabiliamus. Primus igitur locus est, Jerem. 23. v. 23, 24. *An Deus è propinquo ego? dictum Jehovæ: annon Deus è longinquo? An delitescere potest quispiam in latebris ut ego non videam ipsum? dictum Jehovæ: annon cœlos & terram ego impleo?* Ubi Deum de suâ præsentiâ disertè loqui habitâ ratione suæ essentiæ & personæ manifestum est. 1. Quia toties in primâ personâ loquitur de se *Ego*; Ergo de Deo sermo est essentiæ ac personæ luæ habitâ ratione; & non tantùm de virtute ejus, præsertim cùm virtus & essentia Dei, in Deo non distinguantur. 2. Quia perspicuè probatur ideò neminem posse abscondi Deo, quòd sit ubique præsens, & repleat cœlum & terram; ideoque non potest ab Adversario in alium sensum atque hypothesin trahi quàm quòd essentiæ suæ ratione omnibus rebus sit præsens: ubi τὸ implere accipimus pro repletione substantiali, cui termino Scholastico exprimitur per τὸ Repletivum Dei, oppositè ad ubi circumscriptivum quod est corporum, & Definitivum quod est Angelorum. Cùm igitur Deus sit ubique Repletivè, non est utique Alicubi (id est in cœlo) Definitive teste Scaligero, *Exercit.* 159. *Sect.* 5. 3. Quia si hîc loci Deus non loquatur de se habitâ essentiæ suæ ratione, verùm de aliquo duntaxat sui attributo; sequitur eo ipso Adversarium statuere essentiam Dei comprehensibilem, & limitari posse saltem loco; ac proinde Deum, ratione suæ essentiæ finitum asserere: finitum dicimus, cui enim certi limites ponuntur, eum esse finitum necesse est; quod statuere est Deum alio atque alio

 ré-

respectu statuere finitum simul & infinitum, id est Deum statuere non Deum; quod cum apertissimâ blasphemiâ consistere nequit. Imò dicimus qui hanc infinitam Dei perfectionem tollit, essentialem differentiam, quâ Dei essentia à creaturarum essentiis separata est, tollere conatur: nam qui negat Dei essentiam esse infinitam, ille re ipsa negat perfectionem Dei esse infinitam: in essentia enim finitâ esse perfectionem prorsus infinitam est simpliciter impossibile.

4. Quia inquit: *An Deus è propinquo ego?* Unde Lxx. interpr. vertunt: Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, λέγει κύριος, καὶ οὐκ θεὸς πόρρωθεν: *Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longè* q.d. præsens adsum, ubique vicinus sum per præsentiam, inspectionem, potentiam, imò per essentiam: quia cælum & terram ego impleo. Ita *Hieron. Raban. Theodor. Lyran.* Ex quibus liquidò constat non solùm quoad virtutem, quatenus Deus ubique locorum virtutem suam diffundit; sed & quoad essentiam ac substantiam; quæ ipsa æquè atque ejus virtus ubique diffunditur locorum, hanc infinitatem intelligendam esse.

Secundus locus est, Psal. 139. v. 7 — 10. *Quo irem à Spiritu tuo? aut quo à facie tuâ fugerem? si scanderem cœlos, illic es; aut stratum ponerem in sepulchro, ecce ades. Si assumerem alas auroræ, habitaturus in extremitate maris, etiam illic manus tua deduceret me, & prehenderet me dextra tua:* quo David non in cœlis tantùm Deum ponit: sed & extra eos: etsi in sepulchrum abiret, ibidem Deum dicit

dicit affuturum; quæ verba non nisi de præsentiâ Dei secundùm essentiam ejus possunt ac debent accipi; non verò de scientiâ & efficaciâ Dei seorsim ab essentiâ consideratâ; cùm utraque ab eâ sit inseparabilis. Deinde quo pacto Deus ponitur in cœlis (videl. secundùm essentiam) eodem modo etiam deprehenditur in locis abditis & secretis, quod illinc colligimus, quòd fiat mentio tum *Spiritus Dei & faciei ejus*, quæ ejus præsentiam, quoad infinitam cognitionem, cui res omnes subjectæ sunt: tum ipsiusmet *Numinis* dicendo *Ades illic es*, quod ejus essentiam infinitam: tum denique *manus & dextræ deducentis prehendentisve*; quæ ejus potentiam & operationem, denotant. quos tres divinæ præsentiæ modos (sive quibus Deus in rebus esse dicitur) à multis usurpatos, rectè observavit *Lyranus in annotationibus super hunc Psalmum.* Unde, essentiam Dei nullo loco excludi, sed ad omnia penetrare ac pertingere dicimus. Si autem negent Adversarii ex his locis & similibus posse evinci præsentiam essentiæ Dei in terra, eadem ratione negabimus ejus præsentiam in cœlo ex iis posse evinci, atque ita ejus essentia tandem nusquam invenietur, quod absurdum & blasphemum.

Tertius locus est, Psal. 145. v. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, &c.* Hic quoque facit ad sententiam nostram confirmandam; siquidem etiamsi hic per magnitudinem pertendente Adversario, intelligatur potentia, virtus, & sapientia, &c. quæ suum infinitatem atque immensitatem habent ab essentiâ Dei, tamen eo ipso infinitatem immensita-

temque essentiæ Dei adstruunt; & per consequens Deus secundùm essentiam ubique præsens esse censetur. Quo enim pacto quæso infinita aliqua, quæ talia revera sunt in Deo virtus, sapientia & providentia, cadent in subjectum, in Deum essentiâ finitum, vel non infinitum? infinitum actu accidens (nam illi haud aliter concipiunt Dei attributa quam ut accidentia) cadet in subjectum finitum? quum modus agendi, non excedat modum essendi, ratione finitudinis, & non infinitum essentiâ haud valeat proferre actiones & operationes infinitas; etiam quòd una ex parte finitum præcipuè essentiâ, illud infinitum esse, vel dici ampliùs nequit.

Quartus locus est, 1 Reg. 8. v. 27. *Etenim an revera habitaret Deus in terra? ecce cœli ipsi & cœli cœlorum non capiunt te, quantò minus domus hæc quam ædificavi.* Idem hoc loco Scripturæ docemur quod tribus superioribus, videlicet Deum ita esse immensum, ut ejus præsentia essentialis, nequidem summo cœlo, nedum Templo Hierosolymitano includatur; neque hîc intelligi efficaciam sive potentiam, scientiam, & providentiam solùm, quin ipsa quoque Dei essentia intelligatur. 1. Quia inquit *Te* non capiet, quod est secundæ personæ: non verò dicit tuam potentiam. 2. Quia Deus respectu *suæ efficaciæ sive potentiæ*, non potest dici immensus. Ratio est: quia omnis potentiæ divinæ effectus, est finitus, & spatium finitum occupat, & ideò licet Deus omni tali effectui & per essentiam & per potentiam esset præsens, (quod fatemur & credimus) tamen ex hoc non est immensus. Cùm manifestum

sit,

sit, quòd in ordine ad effectum finitum, & spatium finitum, nihil justè dici possit immensum. Et si potentia & virtus ejus excedit mundum totum, ergo & essentia ejus, extra quam virtus ejus non est nisi eam dicamus extra omne subjectum esse, quod absurdum: vel si sit in aliquo subjecto extra ejus essentiam, erit utique in creaturis, & perconsequens jam divina potentia erit in creaturis tanquam in subjecto, ac proinde Dei proprietates ipsæ communicantur creaturis, quod itidem absurdum esse antea probatum est. Quia neque *ex scientia Dei*, sive quòd omnia cognoscat, potest sumi ejus immensitas. (1) Nam aliud est immensitas Dei quæ formaliter excludit omnem determinationem, & limitationem ad spatium. Aliud cognitio Dei infinita quæ excludit ignorantiam. (2) Si Deus esset loco aliquo finito inclusus (ut volunt Adversarii) ita ut non esset immensus; tamen poterit omnia cognoscere. Quia cùm omnia extra Deum sint finita, non repugnat, quin Deus si esset & quoad essentiam, & præsentiam finitus, potuit illa cognoscere. Nulla enim est repugnantia, ut potentia vel finita objecta finita comprehendat. Et per consequens manifestum erit immensitatem non consistere in scientiæ sive cognitione omnium, nec ideo illum rebus esse præsentem, quia illas cognoscit; quod erat concludendum. 4. Quia neque ex exertione providentiæ ejus dici potest immensus: nam Dei providentia extra mundum in rebus non operatur, quum ibi nullæ sint. 5. Quia admissâ hac Adversarii sententiâ, statueretur Deum esse infinitæ virtutis, efficaciæ, & opera-

tionis, qui tamen Deus, ratione ſuæ eſſentiæ eſſet finitus, quod præter ſummam in Deum contumeliam, futili etiam laborat contradictione ut ſupra oſtenſum. 5. Quia apertè hoc ipſum probatur ex loco parallelo, Act. 7. v. 47, 48. *Salamon verò ipſi domum ædificavit. At excelſus ille in Templis manufactis non habitat, quemadmodum Propheta dicit: cœlum mihi thronus, &c.* Ergo Salamon loquebatur de Templo Deo ipſi, non verò virtuti aut providentiæ divinæ ædificando: non enim dicit, num potentia excelſi habitaret in Templis manufactis, ſed num excelſus ille Deus?

III. His poſitis ſatisfit exceptioni Adverſarii: *ſed quia hîc nullam audimus fieri de eſſentiâ mentionem, quid cogit nos hæc loca dè eſſentiâ divinâ accipere? quaſi verò non poſſint illa ſimpliciorem & planiorem habere ſenſum*, &c. licet enim nomen non occurrat, tamen quoad rem extare in ſacris literis apertiſſimum eſt, ut ex antedictis liquet plus ſatis: neque enim principia Chriſtianæ fidei, univerſaque ejus capita in Sacris literis extare debere quoad nomen, vel ſingula principii complexi verba, ut illa totidem verbis occurrant in ſacris, neceſſè eſt; dum aliud aliquod nomen rem eandem non malè, & ad captum noſtrum, vel ad detegendos convincendoſque errores accommodatiùs, nihil tamen præter Dei verbum explicet: cum ſalus neque ſita ſit in nominibus; ſed in rebus. Et certè ſunt pleraque vocabula, quæ in Scripturis non extant, quibus tamen paſſim omnes utuntur, ut ſunt *Liberum arbitrium, Sacramentum pro Baptiſmo & Cœna Domini, Synaxis*

Synaxis profana, &c. quæ tamen nemo rejicit, eò quòd explicandarum rerum gratiâ excogitata ac usurpata sunt. Quòd si quis hujusmodi vocabula rejicit, rejiciat eadem ratione interpretationem quæ scripturæ contextu non consarcinatur, ut est textuum sacrorum in concione explicatio, ejusdem S. Scripturæ in alias linguas versio: Quòd si clarior itaque contextus expositio non rejicitur, non sunt & illa nomina rejicienda, quæ religiosè & fideliter ipsius Scripturæ veritati serviunt, & parcè modesteque nec citra occasionem ac necessitatem usurpantur. Cavendum enim est ne vocabula (quæ per evidentem consequentiam mentem Domini in scripturis loquentis fideliter exprimunt) repudiando, ipsam repudiemus veritatem; superbiæq; temeritatis simul & hæreseos arguamur. Rectè enim Hilarius lib. de Synodis. *Inanè est calumniam verbi pertimescere, ubi res ipsa cujus verbum est non habeat difficultatem* — *Expertus pridem sum & quidem sapiùs; quicunque de verbis pertinaciùs litigant fovere occultum virus, ut magis expediat ultrò provocare, quàm in eorum gratiam obscuriùs loqui.* Item Gregor. Nazianzenus Orat. 5. de Theol. ad hanc ipsam hæreticorum objectionem respondens: *Judaicum esse* ait *relictis rebus syllabas consectari.* Deinde, negatur hoc idem ab ipso Socino contra *Franciscum Davidis.* Ubi cùm hic urget in sacris literis non extare hanc propositionem, *Christus est invocandus.* Socinus ipsi respondet: (etiamsi uterque in eo erret, quòd putet non extare mandatum de Christo invocando.) *Non necesse esse ut ad literam hoc ostenda-*

tur, sed sufficere, si ex iis quæ scripta sunt, clarissimè deducatur. Sicque istos homines sibi ipsis non constare videmus; quod perversæ causæ manifestum indicium est. Adhæc, (ut loquitur Chemnitius in loc. comm.) maluisset etiam Ecclesia illa simplicitate sermonis uti, ut sicut credit ita etiam loqueretur, unum esse Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Sed exorta sunt certamina hæreticorum impugnantium partim unitatem Dei, partim Trinitatem, ita callidè tamen, ut cùm confiterentur, esse unum Deum, ita intelligebant, quamquam plures sunt Dii, vocari tamen unum Deum, sicut *cor credentium vocatur unum*, *Act.* 4. *v.* 32. Sicut *qui plantat & qui rigat unum sunt*, 1 *Cor.* 3. *v.* 8. Confitebantur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, sed interpretabantur unam esse Personam, & illum alio atque alio respectu dici nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum Sanctum. Quia ergo hæretici loquebantur cum Ecclesiâ, & tamen diversum sentiebant, & per *verisimiles locutiones* ut inquit Nazianzenus, *venena clanculum spargebant apud imperitos*, qui nihil mali suspicabantur, cùm audirent istos loqui iisdem verbis quibus videtur Ecclesia: conati sunt viri Ecclesiastici in Scripturâ invenire vocabula quibus ex insidiis protraherent latitantes hæreticos, ne possent ambiguis locutionibus incautos decipere. Id verò non potuit facere verbis Scripturæ, propter petulantiam hæreticorum qui omnia Scripturæ verba subdolè eludebant, ut argui & teneri non possent; & interim simplicium mentes, hâc fallaciâ captivas ducebant. Necessariò ergo

quærenda

quærenda fuerunt talia vocabula quibus res de hoc articulo in Scripturâ traditæ, aliquo modo exprimerentur: ita ut hæretici ea non possent insidiosâ interpretatione eludere. Idque hâc potissimum de causâ, ut esset certa ὑποτύπωσις sanorum verborum, 2 *Tim.* 1. v. 13. secundùm quam simplices possent vocem veri pastoris à voce lupi simulantis vocem ovium discernere. Hoc itaque premit nostros Adversarios quòd illam scilic. fidem de Articulo S. S. Trinitatis, quam Spiritus Sanctus in Scripturis revelavit, Dominus sic docuit, Apostoli tradiderunt, Patres conservarunt, Martyres roboraverunt, (*Basil. in Serm. contra Sabellianos & Arianos*) quamque ab initio tota veterum hæreticorum sentina impudenter ibat eversum; beneficio & ope horum vocabulorum contra teterrimam eorum hæresin à nobis strenuè defendatur. Porrò hanc Dei substantiam, quam nos essentiam vocamus, etsi multis possumus, tribus modis eam extare in S. literis demonstrabimus. *Primò*, ipso vocis usu, Essentia, de Deo usurpatæ. Sic enim Deus in scripturis, *Apud illum est robur & essentia*, Job 12. v. 16. Item *meum est consilium & essentia, mea est prudentia, robur meum*, Prov. 8. v. 14. Item, *mirificus est consilio, magnificus essentia*, Esa. 28. v. 29. Nam cùm in re qualibet modus operationum sequatur modum τῦ ἔιναι sive essendi illius, quis neget hunc Esaiæ locum, si benè attenderit, ad essentiam Dei pertinere? *Secundò*, nomine proprio seu essentiali Dei, quo Scripturâ Sacrâ in Testamento veteri utitur, Jehova, Jah, Eheje, (hæc enim conjugata sunt) quod est ens ὁ ὤν.

&

& quidem ens αὐτοὼν, æternum, immutabile, &c. quapropter appositè dicebat *Johannes*, *Apo.* 1. ἀπὸ τῦ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος: Græci vertunt κύριος dominum, ἀπὸ τῦ κύριε, ab auctoritate non solùm agendi in alia, ut vulgò exponitur, sed essendi à se & in se (ut ita loquamur) quasi αὐτο ὄντα & auctorem principiumque ut alia omnia sint, *in quo vivimus, movemur, & sumus*, Act. 17. v. 28. *ex quo, per quem, & propter quem omnia*, Rom. 11. v. 36. Nam si entis est essentia: (ut est analogicè) profectò summè entis summa est essentia: Est autem Deus summè Ens ὧν ὑπερέσιος: Ejus ergo summè est essentia. Est namque de essentiâ cujuslibet personæ divinæ, & cujuslibet personalitatis divinæ esse *ipsum esse*, per essentiam saltem à *parte rei*, quicquid sit de modo concipiendi nostro; teste Suarezio Scholasticorum Coryphæo, *Metaph. Disp.* 34. Si igitur sit de essentiâ personæ divinæ esse ipsum *Esse*; Ergo & essentiam habere, erit de Patris essentiâ, (quem vulgò Sociniani solum Deum appellant) & per consequens ipsius Dei: cùm præsertim ipsum *esse* per essentiam à *parte rei*, & habere essentiam, identificentur. *Postremò* prædicationibus de Deo, quæ in sacris Scripturis extant. Nam sive Deus loquatur, *ego sum & non est alius: & non est quisquam præter me*, *Esa.* 43. 44. & 45. *cap.* ut sæpè in Prophetis legimus, sive de eo servi ipsius enuncient, ut passim: omnino illud verbum, *esse*, ὑπαρχικῶς oportet accipi: quod esse secundi adjecti recentiores Logici appellarunt; Græci κατηγορέμενον, ut ab esse tertii adjecti, quod est

π. ὄν.

προσκατηγορέμενον, distingueret. Quicquid autem est per se, quà est, essentia est: Deus est: essentia igitur. Atque hæc spectabat omnia Apostolus, cùm ita scriberet; *Qui accedit ad Deum, hic credat oportet esse Deum, & iis qui quærunt ipsum futurum esse remuneratorem*, Heb. 11. v. 6.

IV. Ad secundam Adversarii adversùs nos exceptionem inde sumptam, *quòd præsertim cùm eadem scriptura alibi Deum nobis tantùm in cœlis ostendat, ad eum manus & oculos attollere jubeat, non habitare eum in Templis manufactis, & multa talia asserat*, &c. Illa non faciunt contra nos; illis enim probatur Deum esse in cœlis, quod nec nos negamus; verùm non probatur ita Deum esse inclusum cœlis secundùm suam essentiam, ut non etiam sit extra eos. Ne enim in illis locis à nobis absens intelligatur contestatur Apostolus, *non longè Deum abesse ab unoquoque nostrùm, qui in ipso vivimus, movemur & sumus*, Act. 17. v. 27, 28. Idque ut probet adversùs gentiles Deum non esse colendum per imagines aut idola, cùm sit ubique præsens, atque etiam unicuique nostrum; quod argumentum nullius esset efficaciæ, si de aliqua virtute aut operatione accidentali ageretur, quum Reges & Principes, qui in uno aliquo loco sunt, etsi eorum autoritas & potentia se per totum regnum eorum extendat, tamen pingi & sculpi possint ac soleant. Idem probat illud Prophetæ: *Jehova Deus vester est Deus in cœlis supra & in terrâ infra*, Jos. 2. v. 11. nec non *Deut.* 4. *v.* 39. Variæ itaque hujus rei sunt rationes, cur toties tamque apertè id inculcant sacræ literæ,

literæ. 1. Quò sic mentem nostram à rebus terrenis caducis & fluxis, abducamus, eoque securiùs & glorioſiùs de Deo cogitemus. 2. Quò excitemur ad quærendam habitationem nostram, in cœlo nobis paratam, & benedictiones nobis destinatas & servatas in cœlo fruendas. *Heb.* 11. *v.* 16. 1 *Pet.* 1. *v.* 4. 3. Quia revera in cœlis est singulare veluti domicilium & sedes gloriæ & majestatis suæ, ubi modo eminentiori Angelis & Sanctis se se revelat. Rationum abundè, *Vid. apud C. D. Mares. in Hyd. Socin. Tom.* 1. *p.* 493. *Horenbeck in Consut. Socin. lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 3. *Alting. in Theol. Nov. Elenc. p.* 128. *Schebl. lib.* 2. *cap.* 3. *de Deo art.* 3. *punct.* 1. Atque hæc ad Exceptiones Adversarii de infinitâ Dei essentiâ. Pergit ulterius.

ANONYMUS.

Atque hic de infinitâ Dei essentiâ error fuit Πρῶτον ψεῦδος, *Christianismi à puritate ac simplicitate suâ degenerantis, postquam plurimi ex Ethnicis religioni se Christianæ applicuerunt, qui cùm ad eam ingenia Platonicis ideis imbuta, aliorumque Philosophorum somniis obfuscata attulissent, paulatim à Symbolo Apostolico recesserunt, & doctrinam Christi simplicem sordibus insanientis sapientiæ infecerunt. Huic vanæ opinioni postea ceu basi superstructa est hæc operosa*

Tri-

Trinitatis fabrica, cujus initia primò exilia, auxerunt ſubinde ſuccedentia ſecula, donec ad hoc ſurgeret faſtigium, quod hodie videmus: uti ex Eccleſiaſticâ hiſtoriâ colligere eſt. Quare everſâ illâ (ut jamfeci) ſententiâ, neceſſè eſt ut altera quoque concidat: quemadmodum, Collapſa ruunt ſubductis tecta columnis.

ORTHODOXUS.

I. HOc ipſum multos offendit (dicente Chemnitio) etiam antiquis temporibus: Quare Eccleſia loquens de articulo Trinitatis, non contenta fuerit ſimplici illâ proprietate, quâ ipſe Filius Dei, patefaciens doctrinam de Deo uſus eſt, & quam Spiritus Sanctus in Prophetis & Apoſtolis ſecutus eſt: ſed peregrinas Appellationes ex impiis Ethnicorum ſcholis in Eccleſiam introduxerit. Et magnâ invidiâ prægravabantur Orthodoxi Patres ab Hæreticis, ſpecioſo hoc prætextu quòd ſcilicet Eccleſia de illâ inacceſſibili luce divinitatis, non aliter deberet ſentire, quàm ipſa divinitas prodiens ex arcana Majeſtatis ſuæ ſede ſe patefecit: nec aliter deberet loqui, ſed linguam Spiritus Sancti imitari, adeòque ipſa etiam verba totidem ſyllabis & literis exprimere. Neque enim hoc ſibi ſumere debere humanæ mentis imbecillitatem, ut de illis Myſteriis longè ſupra & extra conſpectum humanæ intelligentiæ

tiæ positis, speret se commodiùs & dexteriùs loqui posse, quàm ipse Filius Dei, qui solus novit Patrem, & nobis quantum de Deo scimus patefecit; vel Spiritus Sanctus qui solus novit *quæ sunt Dei, & ipsas etiam profunditates scrutatur*, 1 Cor. 2. v. 10. 11. Quem uterque & Arius & *Sabellius* speciosum habuêre prætextum. Id ipsum videtur urgere nostri quoque Adversarius, dum hunc asserit fuisse errorem πρῶτον ψεῦδος *Christianismi à puritate ac simplicitate suâ degenerantis*: Verùm nonnisi temerè & perabsurdè; cùm constet Ecclesiam a simplici proprietate verborum Scripturæ, non aliquâ petulanti novitatis affectatione discessisse: sed ut elegantèr & verè inquit August. *loquendi necessitate* à Græcis & Latinis parta esse hæc vocabula, propter errores & insidias Hæreticorum, (de quo supra fusiùs.) Et extat hâc de re locus pulcherrimus in Disput. Athanasii cum Ario, coram Probo gentili judice habita: nec pigebit verba ejus verè aurea describere; ubi Athanasius inquit: *Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ: Si quando hæreticorum nova doctrina exsurgit, contra insolentes quæstionum mutationes, rebus immutabiliter manentibus, nominum vocabula immutare, & significantiùs rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum virtutibus congruunt, & quæ magis eadem antiquitus fuisse demonstrent, non ortus novitatem mensurent. Sic ipsi Apostoli in Actis cap. 11. v. 26. Credentium nomen discipulorum, mutaverunt in nomen* Christianorum. *Sic cùm Sabelliana Hæresis Genitum ex virgine Patrem voluisset asserere:* Ingenitum *contra*

hunc

hunc confitendo Ecclesia tradidit Patrem, licet in Scripturis divinis nusquam legatur ingenitum Patrem. Sic quia idem Sabellius Patrem non solùm genitum, sed etiam passum, impio dogmate profiteretur: contra impassibilem *dicere Patrem, religiosè statutum est licet non legatur in divinis literis. Sic cum Photinus Filio tribueret initium ex humanæ generationis naturâ; qui Syrmii convenerunt contra statuebant, dici Filium* Deum ex Deo, lumen de lumine, *licet ista non legantur in divinis literis. Sic contra Eunomium, qui Filium Patri dissimilem confitebatur, Ecclesia* similem esse Patri Filium *asserebat, licet non legatur ea phrasis in divinis Scripturis. Scitò itaque* Ari *contra insolentes & furtivas hareticæ intelligentiæ pravitates, quædam confessionis nomina non temerè præsumpta; sed ex consequenti ratione collecta, fidei auctoritatibus fuisse inserta, ita tot novorum verborum religioso intellectu extiterunt absolutiones, quot fuerunt quæsitæ vel subministratæ perfidæ occasiones, licet totidem syllabis & literis vocabula sive nomina non legantur in divinis literis.* Et paulò ante: *Sic res antiqua novum nomen accipit, nec vocabulo novo nova rei virtus accedit.* Hæc paulò prolixiùs referre voluimus ex Athanasio, quæ adversùs tales obstinatæ mentis, atque perfrictæ frontis hæreticos, & lectu & notatu sunt sanè digna. Ergo liquet eo ipso nos non recessisse à Symbolo Apostolico.

II. Falsum etiam est quod ait Adversarius, nempe: *huic vanæ opinioni posteà ceu basi superstructa est hæc operosa Trinitas*; veterum enim scriptorum dicta, qui fuerunt antè Nicenam Synodum; de quibus

quibus *Servetus* perfidiosè fucum facit lectoribus, citat mutilata dicta ex *Iranio* & *Tertulliano*, similiter etiam *Ministri Transylvaniæ* ex aliis quoque Patribus antiquissimis; quibus omnibus manifestam facientes injuriam, improbè & impudenter conantur in suam chordam pertrahere, quos certissimè constat, non aliam tenuisse, prædicasse, sanguineque adeò suo obsignasse fidem, quam quæ est in sacram quam Ecclesia perpetim coluit Trinitatem. Ad cujus clariorem & penitiorem cognitionem, lectorem remittimus *ad Confut. Socin. O. D. Horenbeck lib. 2. cap. 4. sect. 1. Johan. Botsacci lib. 2. sect. 6. cap. 2. & 4. Item Gregor. de Valentia lib. 1. cap. 20. & 23. de Unitate & Trinit.* præ cæteris verò *Paxillum* in integro hac de re *volumine* copiosissimè differentem. Ne videamur tamen Patres antiquissimos in totum præteriisse, libet nobis referre elogium confessionis *Gregorii Neocæsariensis* Episcopi senis, (qui profectus erat Antiochiam cum aliis Episcopis ex vicinis regionibus eo confluentibus, qui Discipulos Christi audierant, & qui *Samosatenum* in Ecclesiâ tumultum excitantem refutarunt, ac damnatum ex Ecclesiâ ejecerunt) cujus doctrinam Ecclesia ejus temporis purissimam esse judicavit, reliquitque scriptam confessionem multò antè Nicenam Synodum, i. e. circa annum 240. quæ confessio extat (apud Euseb. lib. 7. cap. 25. edit. Basiliæ 1544.) hoc modo: *Unus Deus, Pater verbi viventis sapientiæ subsistentis, & imaginis suæ integræ genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, Filius sempiternus*

ſempiternus ex ſempiterno, unus Spiritus Sanctus; ex Deo ſubſtantiam habens, qui per Filium apparuit ſanctificans, perquem Deus ſuper omnia, & in omnibus cognoſcitur: quæ confeſſio diſertè tradit diſcrimina perſonarum: Filium ait eſſe imaginem Patris, Spiritum Sanctum ait eſſe ſanctificatorem, per quem Deus cognoſcitur, id eſt inchoantem novam lucem in cordibus, ut 2 *Cor.* 3. v 18. dicitur: *Transformamur in eandem imaginem tanquam à Domini Spiritu.* Huc quoque referimus *Dionyſium Romanum* Epiſcopum & Martyrem (qui vixit anno Chriſti 277. juxta Oræum) citante Athanaſio, de Synodi Nicenæ decretis, hanc edentem confeſſionem: *Uniri* (ait is) *neceſſum eſt, omnium Deo Dei verbum, & in eodem hærere, verſarique Spiritum Sanctum & S. S. Trinitatem in unum omnium Deum omnipotentemque veluti in virtutem, principemque conſummari & coaleſcere. Non igitur dividenda eſt in tres Deitates admirabilis & divina unitas, ſed credendum eſt in Deum Patrem omnipotentem, & in Chriſtum Jeſum, Filium ipſius, et in Spiritum Sanctum.*

Eadem eſt confeſſio *Clementis Roman.* lib. 8. cap. 18. conſtitut. Apoſtol. *Tibi* (ait) *omnis gloria & honor & adoratio, Patri & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum:* qui floruit circa annum Chriſti 68. Huc etiam faciunt verba ultima *Polycarpi*, qui teſte Euſebio l. 4. c. 15. *Patri, Filio, & Spiritui Sancto jamjam mortiturus, gratias egit; adeoque venerandam S. Trinitatem confeſſus eſt.* Haudquaquam

itaque ſcurrilitas illa (ſi tam levi vocabulo appellanda eſt) admittenda eſt; imò prorſùs exterminanda; quæ fingit Eccleſiam primò piè credidiſſe in unum Deum: deindè in Niceno Concilio additam eſſe ſecundam Perſonam: poſtea vero (quia numero Deus impare gaudeat) Spiritum Sanctum eſſe relatum in numerum ternarium Trinitatis. Illi ſunt fine omni dubio ſarcaſmi Diaboli.

Etſi autem hæc piis mentibus ſatis ſint: ut tamen veritas fiat illuſtrior, & revincatur iſtorum audacia, qui non dubitant nudo (quod ajunt) capite obniti huic doctrinæ, adferemus pro auctario quæ Euſebius Cæſarienſis poſt Synodum Nicænam perſcripſit Eccleſiæ ſuæ, cùm antè Arianorum partibus ſtuduiſſet, ut apud Socratem leguntur lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 8. *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem: & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Dei Sermonem, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſecula à Deo Patre genitum, per quem etiam facta ſunt omnia, qui propter ſalutem noſtram factus eſt caro & inter homines converſatus, & paſſus, & qui reſurrexit tertio die, & aſcendit ad Patrem, & venturus eſt iterum ad judicandum vivos & mortuos. Credimus & in unum Spiritum Sanctum: unumquemque horum eſſe & ſubſiſtere credentes Patrem, verè Patrem, & Filium verè Filium, & Spiritum Sanctum verè Spiritum Sanctum: quemadmodum etiam Dominus noſter emittens diſcipulos ſuos ad prædicationem, dixit, Ite, &c.* Hæc Euſebius de ſua & Patrum

Patrum Orthodoxorum fide, qui antè in Ecclesiâ vixerant: ad quæ si homines isti melius attenderent, certè ab affirmationibus istis veritati palam adversantibus cùm honoris sui, tum veritatis divinæ & pietatis in Deum causa abstinerent.

Sed placeret hîc & saniorum Conciliorum judicia recensere, nisi fortè prolixum & tædiosum foret Christiano Lectori: ideòque ex ipsis saltem Conciliis doctrinam hanc de S. S. Trinitate, Sanctè pièque profitentibus, firmiterque asserentibus, quædam adducemus: cujusmodi fuit.

I. *Antiochena Synodus prima, quæ circa annum Christi* 278. *Paulum Samosatenum damnavit: cujus judicium ante vidimus.*

II. *Nicenum Concilium adversùs Arii hæresim in Nicea urbe Bithyniæ celebratum anno Christi* 332. *de quo apud Theodoretum, lib.* 1. *& Tripart. lib.* 2. *& hist. Eccles. lib* 10. *cap* 6.

III. *Constantinopolitana Synodus* 1. *& universalis & tempore Gratiani & Theodosii Imperatoris convocata anno* 383. *quæ damnavit Macedonii sectatores, Eunomianos, Sabellianos, Apollinarios, &c. Tripart. lib.* 9. *cap.* 4. 5, 8, 9. *& imprimis* 12. 13, 14, 15, *&c.*

IV. *Constantinopolitata* 5. *Universalis, tempore Justiniani Imperatoris anno Christi* 552. *celebrata, edens Canones* 14. *de Trinitate & duabus in Christo naturis.*

V. *Carthaginensis Synodus* 2. *tempore Valentiniani & Theodosii Imperatorum, confitens doctrinam de tribus personis.*

VI. *Sardicensis in Sardicâ Illyrici urbe celebrata anno Christi 353. illustrans doctrinam de divinitate Filii Dei, & Spiritus Sancti, congruentem cum Symbolo Niceno Tripart. lib. 4. cap. 23, 24, 25.*

VII. *Toletana Synodus* 1. 3, 4, 6, 8. & 11. *Orthodoxam fidem de divinitate Filii & tribus personis amplectens, eamque sancions, prolixeque explicans articulum de tribus personis Divinitatis.*

VIII. *Syrmiensis Synodus à Constantino Imperatore coacta damnans Photinum, qui unam tantùm in Divinitate personam dicebat.*

IX. *Aquileiense Concilium cui etiam Ambrosius interfuit, Aquileiæ celebratum circa annum Christi 380. confirmans decretum Synodi Nicenæ de duabus in Christo naturis: damnans Arianos, & nominatim Palladium & Secundianum.*

X. *Colonienſis Synodus tempore Constantii Imperatoris, damnans Euphratam Episcopum Arianum, qui docuerat Christum non esse verè & naturâ Deum.*

XI. *Vormacienſis Synodus circa Caroli Magni tempora repetens confessionem fidei de tribus personis.*

XII. *Concilium Bracharense* 1. *in Bracharâ Lusitaniæ urbe celebratum circa annum Christi 385. de Trinitate sic decernens: Si quis Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non confitetur tres personas unius subſtantiæ & virtutis & pietatis, sicut catholica & Apostolica Ecclesia docet; sed unam tantùm & solitariam*

solitariam dicit personam, ita ut ipse sit Pater, qui Filius, ipse etiam sit Paracletus Sanctus, sicut Sabellius & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Ex his videmus doctrinam hanc de S. S. Trinitate, non nuper natam ac confictam esse, quin totiùs antiquitatem ipsam eandem cum nobis veritatem profiteri, professioneque suâ corroborare. Imò Photinianorum doctrinam talem esse, & antiquis Ecclesiæ doctoribus prorsus incognitam, propria eorum confessio est. Ita enim Socinus contra Wiekum c. 5. class. 3. argum 14. *Nos ingenuè profitemur, sententiam nostram de Christi naturâ sive essentia, adversari omnibus scripturæ interpretibus, quorum scripta ad nostram ætatem pervenêre.* Ibidem class. 7. cap. 9. *autoritatum & testimoniorum ex Patribus & Conciliis congeries nullas vires habet: præsertim verò adversum nos, qui ab istis patribus & conciliis, quæ exstant, non dissentire non dissitemur.*

Neque videmus quid sibi velit Adversarius, dum ortum & initium hujus doctrinæ arcessit ab ipsis *Ethnicis, Platone* puta aliisque ejusdem ætatis Philosophis, cùm tamen hoc ipso magis stabiliatur hujus doctrinæ antiquitas: Plato enim cæterique ejusdem ætatis Philosophi, multis sæculis præcesserunt natalia Christianismi. Ideòque reverenter statuamus esse antiquissimum & perpetuum Patrum, totiusque Ecclesiæ consensum, inde usque ab initio: qui piè nec sine fructu diligentem & eruditam navaverunt hàc in re operam, ut ex Veteri Testamento colligerent de S. Trinitate testimonia, quamvis non

non ita clara, ut jam in Novo Teſtamento (non tamen ita obſcura, ac ſi illis nulla planè manifeſta & invicta lux inſit; verùm in reſpectu ad Novum Teſtamentum: *Novum* enim *Teſtamentum in Veteri fuit velatum*, *Vetus in Novo revelatum*; piis Patribus ſic loquentibus) ut ſcilic. oſtenderent contra hæreticos, Deum ſemper ab initio revelationis, hoc modo eſſentiam ſuam patefeciſſe, & Eccleſiam omneſque Electos omnibus temporibus in unum Deum credidiſſe, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; ſicque agnoviſſe, invocaſſe, & celebraſſe. Jam concludit Adverſarius.

Anonymus.

Hæc autem, quæ diximus hactenus adeò clara ſunt, ut vel à pueris, qui nondum are lavantur, percipi queant. Aut enim nihil certum eſt in religionis negotio, aut hæc certa eſſe oportet. Si enim contradictoria ſtatuere, & immota ſanæ rationis principia ſubruere fas fuerit, ego faxo mox, ut nec Deus ullus in cœlis ſit, nec virtuti aut vitio ampliùs inter homines ſit locus. Quò magis (ut jam ſemel dixi) ignominioſum eſt viris eruditis, quòd in tam clara luce cæcutiant. Evigilent ergo tandem ſerio, neque amplius ſibi imponi, atque vano ſacroſancti myſterii obtentu oculos perſtringi ſibi patiantur:

tiantur: ſed myſterium iſtud certis & neceſſariis documentis probari ſibi poſtulent, ab iis, qui arcana divinitatis (quæ alios rimari nefas eſt, ne fortè vanitatem horum arcanorum deprehenderent) ipſi tam ingenioſè, tam graphicè norunt deſcribere, quaſi nuper è cœlis redierint, ubi exquiſitè diſtinctas in infinita Dei eſſentiâ Perſonas ſuiſmet oculis perſpexerint. Sed eos illud nunquam probaturos, jam cum bono Deo oſtenſum eſt. Atque hoc unum ſemel ratum fixumque eſſe debet, firmiterque ab omnibus Chriſtianis ſemper tenendum eſt, nihil quod cum abſurditate conjunctum eſt, & contradictionem implicat, ex ſacris Scripturis probari poſſe: nedum ut per conſequentias in conjecturis fundatas, & ex talibus ſcripturæ verbis deductas, quæ aliter atque aliter intelligi, & quidem longè melius & ſaniùs queunt, id probari poſsit. Quæ regula adeò vera eſt, ut tum quoque, cum expreſſa ſunt Scripturæ verba, cogamur in explicatione eorum à proprietate literæ diſcedere, & alium in proprium quærere ſenſum; quando propriè intellecta abſurditatem manifeſtam continent. Exemplum eſto: cùm Chriſtus dicitur via, eſtium,

lapis angularis, agnus, leo, &c. Omnia hæc impropriè sumimus, non aliam certè ob causam, nisi quòd proprius sensus non possit absque absurditate consistere. Sic in similibus se res habet. Atque hæc dicta sufficiant. Deus Pater ille luminum, luce veritatis suæ oculos hominum ita perstringat ut omnes cognoscant illum solum verum Deum, & quem misit Jesum Christum, Amen.

Tandem bona causa Triumphat,
Non semper pendebit inter latrones Christus,
Resurget aliquando crucifixa veritas.

ORTHODOXUS.

I. QUòd ita de se ipso Anonymus loquitur tanquam si pugno veritatem teneat, abs quâ aberrat longissimè, id nos scripto nolumus exagitare, sed mali potiùs causam quam fidelissimè possumus ostendere, ut curetur à Domino, aliisque eádem consulatur. Concludens igitur, primò omnium ab ipso hactenus assertæ quasi veritatis evidentiam nobis ingeminat, ad quam etiam amplexandam nos excitat atque exstimulat; quæ quidem videtur clara si quis verborum flumina & non rationum momenta consectetur, vel si quis, dicta ab eo amplosè prolata, in reprobum illius sensum

ſenſum interpretetur : minimè verò ſi ea ſecundùm rei veritatem in ſacris nobis revelatam, conſiderentur : argumenta enim ſi quæ fuerunt, nonniſi nugatoria & ſtraminea, quibus cauſa potiùs tradi videtur quàm defendi. Ex diametro verò religioſam S. S. Trinitatis aſſertionem contradictoriam pugnantemque cum ſacris literis aſſerit homo Lynceus ; qui id tam longo intervallo videt quod Eccleſia per tot centurias annorum non potuit animadvertere. Ejus rei teſtimonia ab ipſo allata, quæ cum doctrina Orthodoxa de Trinitate pugnent, ſunt planè nulla, & non niſi à ratione ſolâ conficta, ut palam eſt omnibus.

II. Scilicet hæc eſt Adverſarii noſtri Religio & pietas, quâ ſeipſum nobis commendat, & ad quam alios invitat ; quæ tam profanè loquitur de Deo & S. S. Trinitatis veritate, *vanitatem Myſteriorum* eam appellando. Veremur profectò cum Baſilio lib. 1. adverſùs Eunomium : *ne nos quoque dum alienas blaſphemias ore uſurpamus, noſtram ipſorum mentem polluamus, & eorum condemnationem participemus* : imò, demiramur & obſtupeſcimus planè, cur non vel ipſe calamus horreat tantum blaſphemiarum portentum & ſcribere ampliùs renuat ? Dogma enim hoc de Trinitate dogma divinum eſt, & à Deo vero profectum, ut tota Scriptura clamat, tota Eccleſia, gentes quoque omnes re expertæ, ore confeſſæ ſunt : quòd in *Apologetico Tertullianus* graviter aſſerit.

III. Jam evidentiſſimè, imò ipſâ luce meridianâ clariùs à nobis oſtenſum eſt, nullam hoc dog-

ma

ma involvere absurditatem, nullamque contradictionis implicationem: Si verò per absurditatem contradictionemque intelligat illud, scilic. *Quæ rationi repugnant, illa certò certiùs falsa esse nemo dubitare debet*; hoc quidem verum esse largimur, si de articulo rationis & naturalis veritatis quæstio sit; at si de veritate supernaturali (ut hoc loco) & hîc veritas veritati nunquam quidem contraria, neque id quod Scriptura dicit rationi; tamen non hinc illorum veritas est æstimanda & judicanda, si cum ratione conveniant, maximè dum nostra hodie adeò est corrupta; quod tamen vult Axioma hoc Socinianum; sed veritate ex Sacrâ revelatione certû extra dubium à nobis relinquitur, nec amplîus contendimus, quicquid demum ex ratione ogganiatur. Neque enim omne quod est absurdum rationi corruptæ, etiam absurdum est fidei. Hinc distinguuntur absurda *rationis* & *fidei*. Nobis non sunt curanda absurda rationis in Theologia, cùm ratio non sit regula & norma Theologiæ, ad quam ceu cynosuram sive amussim quæstiones fidei exigendæ, ut quæ potiùs captivari debet verbo Dei: sed curanda nobis sunt absurda fidei. Atqui non est hoc nobis absurdum fidei; ut immota docuit & sempiterna oraculorum cœlestium veritas. Exemplum igitur cùm sit alienum, neque probet rem, illud huc non pertinere, multis & operosè demonstrare supersedemus: etenim de rebus apertissimis ac sole lucidioribus respondere nihil aliud est, quàm hominibus tam pravè agentibus, causam improbitatis imprudentiæque suggerere, ut verissimè quondam pro-

pronunciabat *Athanasius Orat.* 16. Atque sic Deo ac Domino nostro juvante sententiam nostram, pro fide S S. Trinitatis adversus calumnias & objectiones Sycophantæ vindicavimus, ut confidimus, satis & sincerè: tum ad veritatis illustrandæ confirmationem, tum ad Adversarii retundendam ac coarguendam intolerandam impudentiam. Concludimusque verbis præclaris præfationis Ecclesiasticæ, à Petro Lombardo reverenter allegatis: *Verè dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens, æterne Deus: qui cum unigenito Filio tuo, & Spiritu Sancto, unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate Personæ: Sed in unius Trinitate substantiæ. Quod enim de tuâ gloriâ, revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentiâ discretionis sentimus, ut in confessione veræ sempiternaque Deitatis, & in Personis proprietas, et in Essentia unitas, et in Majestate adoretur æqualitas. Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas, te precamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth, plena est omnis terra gloriâ ejus,* Amen.

Tandem bona causa triumphat (Christus,
Non semper pendebit inter latrones (*Arianos*)
Resurget aliquando crucifixa veritas
Abolebiturque Arianorum impietas.

VE-

VETERIS ECCLESIÆ DE ARIANIS JUDICIUM.

Publica Ecclesiæ luces, fax Ariana, quæ Daciam aut Transylvaniam nostram, jam olim contagè sua fœdè contaminavit, miserè vexavit vastavit, ac penè totam sibi subjugavit: cùm hodie quoque partim clam, partim palam tumultuari, & rudiores turbare non desinat; quin imò antiquum virus suum, quod melle circumlitum, & speciosiore quodam colore fucatum, incautis magis allubescit, revomat; sicque Ecclesiam Christi impiè turbatam & fundituùs eversam eat: haud abs re facturi videbimur, si veteris Ecclesiæ de Arianis Judicium à Christophoro Pelargo religiosè collectum, à nobis autem multis modis adauctum, Coronidis loco adjecerimus: ut sic furiosæ eorum technæ, impostura, fraudesque insidiosæ, detectæ & abactæ, in theatrium quasi reducantur.

Hilarius

Hilarius ad Conſtant. Auguſtum.

NUnc qui *Ariana* & peſtifera contagione inquinati ſunt, non ceſſant ore impio & ſacrilego animo Evangeliſtarum ſinceritatem corrumpere, & rectam Apoſtolorum regulam depravare: divinas Prophetas non intelligunt: callidi & aſtuti artificio quodam utuntur, incluſam perniciosam corruptelam exquiſitorum verborum velamine contegunt: non prius venenatum virus infundunt, quàm ſimplices & innocentes ſub prætextu nominis Chriſtiani raptos & irretitos involvant, ne ſoli pereant: ſed participes horrendi criminis ſui reos faciant.

Athanaſ. contra Arian. Orat. 2.

ISta omnium hæreſium ultima, & nunc recens egreſſa anteambulo, & præcurſatrix Antichriſti, cui nomen eſt ab *Ario* doloſa & vafra, cùm videret ſorores ſuas, cæteras (inquam) hæreſes ætate grandiores, publicè palamque probroſas haberi, ſpeciem ſuam diſſimulat, & literarum ſacrarum vocibus, quaſi honeſto cultu induitur, ut Pater ejus Diabolus: ac ſatagit denuò intrare in paradyſum Eccleſiæ; quo ſub ſpecie Chriſtianiſmi nonnullos ſeducat; ut credibilitate falſarum rationum perſuaſi, contra Chriſtum ſentiant. Veris enim rationibus nihil eſt apud illos firmum & ſtabilitum. Imò quod pejus eſt, jam nonnullos inſipientes circumvenerunt, tantoque errore complevêre, ut non ſolùm auribus deſirent:

lirent : sed ad Evæ imitationem oblata degustent, & à degustatione cæci, captique sensibus, amara, dulcia esse arbitrentur, & abominabilem hæresim pulchram existiment.

Idem cont. Arian. Orat. 3.

QUi cum *Ario* sentiunt, homines improbiores ἀσεβεστέροι, quàm ulli hæret ei, quos in dies magis ac magis superant, hæreséque omnes propemodum justas oris sui effrenitate feddunt : illæ enim supra veritatem aliquid admentiuntur, & vel circa corpus errant, inquientes Dominum ex Maria Carnem non habuisse, aut mortuum non esse, aut revera hominem non fuisse, sed ipsum duntaxat hujus ostendisse, visumque habuisse corpus aliquod, cùm nullum haberet, *&c.* Illi verò manifestè in Patrem scelerati sunt, cujus divinitatem in Filii imagine contestatam blasphemant : quippe qui eam dicant creaturam esse, & vocem hanc, fuit quando non fuit, tanquam crenum in marsupio circumferant : & illam quasi virus serpentis objiciant. Deinde quia abominabile est apud omnes eorum dogma, statim veluti fulcrum quoddam universæ hæresi, excellentiam humanitatis Christi subjiciunt, ut eam suspiciens admiransque simplicior, non deprehendat notam vesaniæ illorum. Quid ? an non misericordia digni qui tam miserè ab iis decipiuntur : an non digni lacrymis, qui præsentis præstigii voluptate delinîti, suasmet ipsi utilitates produnt, & à futura spe excidunt ? Cùm enim eum esse credant, qui non

est,

est, hacque persuasione suscipiant, nihil suscipiunt, creaturæque co-optari nulla ex re creata opem sentiunt: & dum in id, quod dissimile est & alienum à substantia Patris, fidem habent: fit, ut Patri non co-optentur, ut qui non habeant Patris naturalem & genuinum Filium, qui est in Patre, in quo & Pater est, ut ipse dixit, sed illorum fraudibus circumventi, nudi inopesque deitatis relinquantur.

Ambros. de fide lib. 2.

MOre Judaico aures suas *Ariani* claudere solent, aut ferere tumultus, quotiescunque verbum salutis audiunt. *Ibidem.*

Johannes dicit, hæreticos esse Antichristos, *Arianos* utique designans: hæc enim hæresis post omnes hæreses expit, & ex omni hæresi venena colligit. Sicut enim de Antichristo scriptum est, quia aperuit os suum in blasphemiam ad Deum, blasphemare nomen ejus, & bellum facere cum sanctis ejus: ita & isti Filio Dei derogant, nec martyribus pepercerunt, & quod fortasse ille non faciet, scripturas falsavêre divinas.

August. de Symb. ad Catechum.

HÆreticus *Arianus* non insultet Ecclesiæ: Lupus est, agnoscite: serpens est, ejus capita conquassate: blanditur, sed fallit: multa promittit, sed decipit. Venite, inquit, defendam: si necessitas, pascam: si nuditas, vestiam: dabo pecuniam;

niam, ſtatuam quid per ſingulos dies quiſque accipiat. O lupe male, ô ſerpens inique, ô ſerve nequiſſime; dominam calcas, veram matrem impugnas, Chriſtum exſufflas; Catholicum rebaptizas: & quod eſt peſſimum artis tuæ, alios potentiâ premis, ut perdas, alios pecuniâ comparas, ut occidas. Ergonè hæretice ad hoc veſtis nudum, ut exſpolies intus Chriſto veſtitum? ad hoc paſcis eſurientem, ut animæ auferas cibum cœleſtem? ad hoc das pecuniam, ut ſic tibi iſti vendant Chriſtum crucifigendum? Pejora hæretice facis, quàm quis fecit Judæus.

Idem in Orat. contra Arianos.

O *Ariana* hæreſis, ô crudelis & impia meretrix; erubeſce judicari à Salamone. Meretrix ne unum vivum, ne undecunque conceptum, jamque partum perderet, non permiſit dividi filium ſuum, & tu dividis Dominum Deum tuum. Illa etſi meretrix tamen pia, quia mater: tu autem & meretrix & impia, non ut mater quod paris prægocas: quod non paris congregas. Quomodo alterum lactas, quæ tuum necas? viſcera tua duruerunt, illius tremuerunt.

Vincent. Lerinenſ. cont. hæreſ. cap. 6.

QUando *Arianorum* venenum, non jam portiunculam quandam, ſed pene orbem totum contaminaverat, adeò, ut propè cunctis latini ſermonis

monis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret; tunc quisquis vetus Christi amator & cultor exstitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo; nulla contagii ipsius pestè maculatus est. Cujus quidem temporis periculo satis superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis, novelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non solùm parvæ res, sed etiam maximæ labefactatæ sunt. Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verùm etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, universum postremò Romanum imperium funditus concussum & emotum est. Namque cùm prophana ipsa Arrianorum novitas, velut quædam Bellona aut Furia capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugâsset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare: privata ac publica, sacra prophanaque omnia, nullum boni & veri genere discrimen, sed quoscunque collibuisset, tanquam de loco superiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, prophanatæ virgines, monasteria demolita, disturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis urbibus protusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa; nuditate, fame, siti affecti contriti, & tabefacti sunt. Atque hæc omnia nunquid ullam aliam ob causam, nisi utique dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur: dum

benè fundata antiquitas ſceleſtâ novitate ſubruitur; dùm ſuperiorum inſtituta violantur; dum reſcinduntur ſcita Patrum: dum convelluntur definitiones majorum: dum ſe ſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites prophanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet? De quâ crudelitate legatur Socrates *lib.* 2. *cap.* 10. *lib.* 4. *cap.* 13. *Eccl. hiſt. Sozom. lib.* 3. *cap.* 6. imprimis *Athanaſ.* ad ubique Orthodoxos. itemque *Euſebius* Cæſarienſis in Eccl. Hiſt.

Gaudentius Brixienſis Epiſcopus Serm 19. *ad Neophytos.*

EXecrabilis *Arius*, qui Principis Conſtantini temporibus, cùm venenato corde, Confeſſionem Catholicæ fidei ſimularet, ambiens, in amicitiam Regis & in gradum Presbyterii unde meritò pulſus fuerat, revocari, ad ſimilitudinem Judæ traditoris crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera ejus; ne ſub indumento ovis, lupus ad devorandum gregem Domini introiret. Hujus improbi aſſertionem ſequentes Ariani, exemplum pariter ſequentur & mortis. De morte *Arii* inter alios Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores Vide *Socrat.* Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 25.

Alia

Acta Concilii Niceni, quæ extant in Tomis Conciliorum, & in hiſtoriis Eccleſiaſticis Baronio, Centuriatoribus Magdeburg. aut ſimilibus. Et imprimis doctè collecta à Goldaſto in Conſtitut. Imper.

Pacem profanam, hæreticam, Syncretiſmum tremendum damnamus omnes, *Arianos* nec Politicè nec Eccleſiaſticè tolerandos eſſe fortiter clamamus.

His addi poſſunt ex recentioribus.

Daneus in notis ſuper librum D. Auguſti de Hæreſibus, Cap. XLIX.

Hæreticorum uti Philoſophorum, alii minuti dici videntur poſſe: alii verò majores & inſani horrendarum blaſphemiarum authores. Inter quos *Arius* certè quidem eſt habendus. Etſi enim Paulo Samoſateno, & Manete Perſâ, fuit ætate poſterior: dogmate tamen & erroris veneno fuit utroque longè peſtilentior periculoſiorque. Itaque magnum univerſalis illius Apoſtaſiæ quæ poſtea ſequuta eſt, & non tantùm Antichriſtianici; ſed etiam Mahumetici regni, quod nunc exædificatum eſt, fundamentum videtur eſſe Arianiſmus, quò nec tetrior hæreſis, nec diuturnior, nec etiam plauſibilior reperta unquam à quoquam fuit.

Criſtophorus Pelargus in Admonitione de Arianis recentibus, &c. Cap. VII.

In omnibus autem attendas vivum quoddam verſutiæ exemplum. Etenim & titulis & verbis & crebris

bris ſcripturarum allegationibus pios ſe ſimulant ac religioſos, & Dei nomine, quod Chriſto tribuunt, quaſi divinitatem ejus tueantur, videri volunt: varii loqui & ſeductores, *non Chriſtiani ſed Chriſtempori fraude circumferentes illius nomen, errores venenatos dulcibus alloquiis velut mulſo aconitum miſcentes, ut ſuaviſſimo ſapore deceptus guſtandi ſenſus incautè mortem hauriat*, juxta verba Ignatii, Epiſt. 5. ad Trallianes. *Verſutia eſt*, quòd ſimpliciores & indoctiores primùm tentant. (2) Quòd nobilium autoritate ſua venditant. (3) Quòd ſimulant ſe non odiſſe diſſentientes. (4) Quòd verum Dei honorem ajunt ſe propugnare contra Idololatricas Pontificiorum reliquias. (5) Quòd Academias & publicos fugiunt congreſſus: inque obſcurioribus locis quærunt latebras. (6) Quòd evidentiſſima paſſim Triados ſanctæ, æternæque divinitatis Filii teſtimonia taciti prætereunt, niſi ad ea pertrahantur: uno verbo, *vulpes* ſunt *& corruptores vineæ Chriſti*, juxta Ignatium Epiſt. ad Philadelphum.

II. *Calumniam* illorum omnem qui recenſere cupiat, omnium quotquot extant librorum paginas in numerato habeat oportet. Omnes enim διαβολαὶ pleniſſimæ: ut cum Trinitatis doctrinam ajunt, *ex imo orco per filium perditionis virtute Satanæ Eccleſiis gentium obtruſam eſſe: Deum trinominem, triperſonatum, Deum Baal & Moloch*: & quæ mille alia ipſum & in illis & per illos loquentem produnt diabolum.

III. Quanta verò iſtorum hominum *perfidia*? quòd cum in ſacro Baptiſmate ſinguli jurârint in nomen

nomen Sanctæ Triados, inque confeſſionem Symboli Apoſtolici, plùs quàm deſultoria levitate turpiter reſiliunt, ſeque impietatis autori mancipant? Quæ perfidia eſt Spiritus Sancti oracula commutare, pervertere, torquere? Quæ perfidia eſt Chriſti meritum negare, honorem æternæ divinitatis exuere, alios in exitiales iſtos ſecum abducere laqueos, & tentare omnia, ut ſalutis noſtræ cardo evertatur? Si ſuis pingendi nobis eſſent coloribus *Ariani* quicquid uſpiam de hæreticis vetuſtas prodidit, huc foret congerendum. Sunt enim Arianis primis maledicentiores, Judæis pertinaciores, Neſtorianis loquaciores, Manichæis impudentiores, Donatiſtis & Novatianis arrogantiores, Anabaptiſtis fallaciores, omnibus ſi non nequiores, certè turpiores & peſtilentiores: *animarum abigei*, *Clem. Alexand* lib. 1. Strom. *Extranei & inimici Apoſtolis ex diverſitate Doctrinæ*, Tertull. cap. 37. de præſcriptione: *Chriſti perduelles* Athan ad Adelphios: *ſermone viperei*, Hilar 8. de Trinit. *Architecti novitatis*, Baſil. lib. de S. S. cap. 6. *ſuorum manſueti & placidi judices*, *aliorum ſeveri cenſores*, Nazian. Orat. 2. dè pace: *narratores ſuperſtui*, Ambroſ. in 118. Pſal Serm. 11. *idolorum fabricatores*, *quia ſcripturarum corruptores*, Hieron. in 16. Ezech. *januæ denique mortis*, *et viæ inſervi*, Origen. in 1 Job. Characteres iſtos ex ſacris habere, quòd *ova aſpidis excludunt*, Eſa. 59. v. 5. quòd *putant facturos ſe*, *ut obliviſcatur populus nominis Dei per ſomnia ſua*, Jerem. 23. v. 27. quòd *ſequuntur ſpiritum ſuum*, Ezech. 23. v. 3. *hypocritæ*, *qui claudunt cœlum coram hominibus*, Matt. 23.

23. v. 13. *Spiritui Sancto ſemper obnituntur*, Act. 7. v. 51. *per blandiloquentiam et aſſentationem corda hominum minimè malorum ſeducunt*, ad Rom. 16. v. 18. *neque Deo placentes et hominibus adverſantes*, 1 Theſſ. 2. v. 15. *circa fidem aberrantes à ſcopo*, 1 Tim. 6. v. 21. *etiam Dominum qui illos mercatus eſt, abnegantes.* 2 Pet. 2. v 1. In ſumma: *Impoſtores et Antichriſti*, Joh. 2. v. 7. quibus ſub finem *anathema* dicimus, precatique ſeriò Trinum illum Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ut à blaſphemiis & calumniis Arianicis ſuam liberans Eccleſiam voto noſtro annuat, cum Apoſtolo concludimus ex 1 Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema maranatha.*

AD S. TRINITATEM.

Exere te, Cauſamque tuam parteſque tuorum
Aſſere, *Perſonis* qui tribus *Unus* ines.
Et tu *Chriſte Deum* quem *gens* negat improba verum,
Quòd *fueris*, quòd *ſis*, quòdque *eris*, ipſe proba.
Falſiloquas *ARI* redivivi comprime linguas,
Noſtra ſed in laudes ora moveto tuas.

FINIS.

ERRATA.

MEndarum ſcaturiginem, in interpunctionibus apicibuſque præſertim, non unam animadvertimus; ſive Correctore alibi occupato, ſive præli operariis obdormitantibus; conſpectio a tamen quæ occurrunt ſphalmata, ſic tollenda,

PAg.7 lin 8 lege *præcedenti*. 8 l.12. *indicârit*. 10.l.16.in. 12.l.5.*dicit*. 16.l.penult.*filium*. 17.l.15 *aliquem*. 18.l.7. *cauſæ*. 25.l.2 *reſponſione*. 27 l.7 *tamen*. 29 l.6. *interdum*. ibid.l 17 *eorum*. 32 l.18 *eſſentialiter*. 35 l.ult. *naturali*. 39 l.22 *approbare*. 40.l.17 *non*. ibid l.28.*apparuit*. 46.l.9. *unius nominis*. 49.l.22 *tractatibus*. 50.l.2. *Jen*. 51.l.26. poſt *dividi*, ponantur *duo puncta*. 53.l.17 θέανθροπος. 55.l.10.*Patrem dediſſe*. ibid.l 15 *interpretatione*. ibid l.27. *ejuſdem*. 56 l.29 *ſic*. 59.l.penult. Θεοῦ. 61.l.16.*viſum*. 62. l.11 *principio*. ibid.l.14.*perſonæ*. 65.l.5. *accidens*. 69.l.8. *cæperunt*. ibid.l.22 *Pontificibus*. 70 l.27.*publicus*. 71.l.19. *duplici*. 72.l.4 *abſoluto*. ibid.l.26. *magis*. 73.l.2. *Patre*. 74 l.23.*ſolùm*. 78 l.8 *hominum*. 80.l.7. *ordinaverit*. ibid. l.13.*reſpectu*. 82.l.20. *ſingulariſſimum*. 83.l.6 *Mariæ*. 85. l.14 *niſi*. ibid.l 17 *quidem*. ibid.l. 26 *creârit*. 86.l.1.*cauſa*. 89.l.1 *quin*. 90 l.23 ἀνακτίσις. 91.l 24.*character*. 93.l.7. *character*. 103 l.15 δύναμις. ibid.l.17 *Dominus*. 104.l.15. *perſonæ*. ibid.l.20 *teſtimonio*. ibid.l.29. *poſteriorum*. 105. l.ult. *Sanctus*. 106.l.penult. *effuſſionem*. 107 l.6. *Spiritus*. 108.l.penult.*compeſcat*. 111.l.penult.*Quod*. 113.l.ult. *divini*. ibid.l.ult. poſt *implorare*, ponatur *interrogationis punctum*. 114.l 7. *quæ*. 116.l.20. *ſimpliciter*. 119 l.26. *hoc*. 120.l.13.*deco*. ibid.l.14 *unitatis*. 121 l.17.*cujus*. ibid.l.22. *relatè*. 125.l.ult.*dicimus*. 128 l.ult. *Adverſarius*. 129 l.7. *demonſtrare*. ibid.l.ult *eruditos extitit*. 131 l.9.*pluralitate*. 135.l.12 *ſpirantis*. 139 l.2 *oppoſitæ*. 140 l.ult *temerè*. 149. l.24.*aſſertionis*. 150 l.10.*aliquod*. 152.l 13.*nec*. 159.l.24. *potentiâ*. 164 l.1 *inficias*. ibid l 27 *fit*. ibid.l.28 *mœreat*. 165 l.penult *retractent*. 167.l 16.*ejuſmodi*. 171.l.10. dele *in*. ibid.l.11. *ſtatuminanda*. 175.l.11. *ſingulari*. 184.l.4. *Chemnitius*. 196.l.18. *Arianum*. 197 l7.*Imò*. 202.l.14 *certâ* 204 l.3 *lues*. ibid.l.ult. *theatrum*. 206.l.26. *voluptate*. 208 l.16.*permiſit*.

Si plura occurrent minùs noxia, benevolus Lector ipſe emendabit. *Finis*.